Kozga wybawiß ze dzieie zpeuki

Do Pana ke

Konj

Sudesta

L. N°[illegible]

ERYCI PVTEANI
SVADA AVSPICALIS,
SIVE
ORATIONVM SELECTARVM
PRÆMETIVM.

EPIDIGMATE HISTORICO.

HANOVIÆ
Typis Wechelianis apud Claudium
Marnium & heredes Io. Aubrii.
MDCVI.

Quicunq huius libro Dnus eris
Caue diligenter ne eum manu
attingant Francisci Glowacky alias
Massorosky vide item vel eius oculi
haec intueantur nolumen secus
si feceris. Fur sis a consortio hum
[illegible] infelici [illegible] reste su-
spendaris. bene scripsisti

FESTVS.

PRÆMETIVM *dicitur, quod antè metitur, quasi Præmessum prælibationis causâ.*

AD

ILLVSTRISSIMVM

IACOBVM MAINOLDVM,

Senatus Mediolanensis

PRÆSIDEM.

TOTVM me Lustrum Schola Palatina habuit, voce & stilo isto, EX ANIMI MEI SENTENTIA dicam, illustrata. Nunc Censuram ecce subeo, & in Muneris rationem, ipsam tibi SVADAM sisto, Illustrissime PRÆSES. Tibi inquam, illius olim cultori summo, nunc patrono & Censori. At quam Suadam? AVSPICALEM: id est, ORATIONES SELECTAS aliquot,

Rhetorici ferè Auſpicii cauſsâ ſcriptas atque dictas. Singulæ quidem tum editæ, cùm dictæ; & inſcriptæ ſingulis: quæ in corpus & agmen redactæ & reductæ, tuo ſe nomini imperioque ſubmittunt. Vt in vrbe Larem ſuum Domus quæque priuatim olim colebat; ſed vrbs ipſa Deum aliquem ſiue Genium publicâ religione Tutelarem: ita in Orationibus hiſce eſt; & in tutelam Genii quæque ſui iuit, vt nata eſt, felici & explorato quodã omine vitæ ſiue Famę. Sed iuiſſe tamen ſatis non erat, niſi in commune nominis ſiue numinis Auſpicium omnes coirent. Nominis verò numiniſque tui; quem in rerum culmine conſtitutum colimus, noſtrum, Senatuſq; noſtri, vt ita dicam, Iouem. Diuino ſchemate adpoſitè vtor; & Deum cum nomi-

no, Virtutes om̄nes nomino, quæ in tuo illo pectore clariſſimâ luce effulgent. Sed vt vulgò qui cœlum intuentur, excipiunt oculis confuſa aſtrorum, velut caſtrorum agmina; imagines non diſtinguunt: ita qui te, tuamq; vitam, innumera vitę decora cernunt magis, quàm diſcernunt. vbi quiſque aciem fixit, contemplãdo fatigat. Alium Prudentia, & Doctrina, alium Iuſtitia & Clementia, alium alia virtus, velut ſtupefactum tenet: me verò Benignitas, imò Beneficentia; nec ſtupefactum modò, ſed obſtrictũ. In Hiſpaniâ Conſilii Italici REGENS, vltrò curam & patrocinium Muſæ meæ ſuſcipiens, non clientem dicam, ſed amicum me profeſſus es. Stilum aut linguam quid laxem? loquuntur honores tituliq; quibus ornatus, teſtantur prœmia quibus euectus ſum. Fortuna ipſa

velut index beneficii facta. Sed postquam reducẽ te Italia vidit & amplexa est, & publicâ voce PRÆSIDEM Insubria salutauit; imaginem ipse quoque sumpsi lætioris animi, & prælibare à primo adspectu tuo certum Tranquillitatis omen cœpi. Nam, cur negem? plusculum in hoc Munere, velut mari, dubiis admodum votis fluctuabam. Hinc infesti Liuoris & calumniæ venti: inde mora & remora prœmiorum, imò studiorum. Sic infelix pæne omnis conatus meus & labor erat; & in prauâ sorte meâ infelix quoque inuidia malorum, quòd solâ Virtute torqueretur. Dedi profectò Modestiæ & Constantiæ exemplum per hos annos; & quia infra ingenium meum sibili & susurri isti erant, infra adfectum quoque habui. Nunc in antra tenebras-

nebrasque malignitas recessit, & virulenti animi linguæque ipso silentio vim & virtutem præsentiæ tuæ confessæ sunt. Quid reliquum, nisi vt recisis rei nummariæ tricis, facilem ad stipendia viam inueniam? Tu, vt cœpisti, facies Illustrissime PRÆSES, & benignam hanc operam mihi; imò Scholæ, atque Vrbi dabis. Ita dico vtrique huic, quia mihi. nam profectò Musæ Fortunæq; meæ vultum, Schola; Scholæ, Vrbs ipsa sumit. Pingant, obstrepant Palatini nostri: magna Litteræ Reipublicæ pars sunt; & Professor, Litterarum. Tranquillus, lætus, liber habendus iste, vt illæ sint; & supra plebeiam humilitatem adserendus. Iterùm dico: tu, vt cœpisti, facies; & sic Tutor SVADAE meæ AVSPICALIS eris; imò mei. Ita illa,

ita ego viuam, omni Inuidiâ, omni Fortunâ maior. Tu quoq; viue Illustrissime PRAESES, & magni muneris onera FELICITER, FELICITER diu sustine. Mediolani, III. Non, Ianuarii, ∞.Ɔc.vi.

AD

AD LECTOREM.

PRÆMETIVM *hoc* ORATIONVM *cape mi Lector, quas ſelegi è pluſculis , & ſub titulum hunc redegi* SVADÆ AVSPICALIS. *Scilicet Auſpicia hæc quædam ſunt , quibus ad Rhetoricæ ſtudium , & Philologiæ , Iuuentutem Mediolanenſem Profeſſor publicus duxi: meo more, molliter ; ſtilo, breuiter ; charactere , viriliter. Duxi autem , non traxi ; & dicendo meus eſſe volui, qui alterius docendo. Sanè in calore illo Suadæ & æſtu ſuæ quisque Naturæ indulget. Ego prono adfectu : & malo robuſtus Oratione, quàm ſolutus eſſe ; rem , quàm verba loqui. At enim noui Magiſtri Numerum religiosè exigunt : ego pondus. pondere ipſo numeroſa Oratio eſt. Quid ludibrio inanium verborum diſtendas periodum aut farcias? Non copia Numerum , ſed copulatio vocum ſiue ſtructura gignit. Exemplum vide. Conciſus & acutus , ſiue , vt cum Cicerone dicam,* egregiè ſubtilis ſcriptor atq; elegans *Lyſias fuit : & tamen Orator ; imò è X. vnus, in Græciâ maximè celebratis. Hinc præcla-*

rum illud Phauorini apud Noctium Scriptorem iudicium : Si ex Platonis Oratione verbum aliquod demas muteſúe, atque id commodiſſimè facias, de elegantiâ tantum detraxeris: ſi ex Lyſiæ, de ſententiâ. *Tu ſi me roges Lector, elegantiæ ſententiam anteponam. Salue, & ad morem Antiquum ſape.*

IMA-

IMAGO SVADÆ E MARCIANO CAPELLA.

SVBTILISSIMI corporis, ac fiduciæ grandioris, vultus etiam decore luculenta, femina insignis ingreditur; cui galeatus vertex, ac regali caput maiestate sertatum: arma in manibus, quibus se vel communire solita vel aduersarios vulnerare fulminea quadam coruscatione renitebant. Subarmalis autem vestis illi, peplo quodam circa humeros inuoluto, latialiter tegebatur: quod omnium Figurarum lumine variatũ, cunctorum Schemata pręferebat. Pectus autẽ exquisitissimis gemmarum coloribus baltheatum. Hæc cum in progressu arma concusserat, velut fulgureæ nubis fragore colliso, bombis dissultãtibus, fracta diceres crepitare tonitrua. Denique creditur, quòd instar Iouis eadẽ posset etiam fulmina iaculari. Nam, velut impotens rerum omnium Regina, & impellere quò vellet, & vnde vellet deducere, & in lacrymas flectere, & in rabiem concitare, & in alios etiam vultus sensusq; conuertere tam vrbes quàm exercitus prœliantes, &

quæcumque poterat agmina populorum. Hæc etiam Senatum, Rostra, Iudicia domuisse in gẽte Romuleâ: Athenis verò, Curiam, Gymnasia, Theatraq; pro arbitrio reflexisse, ac totam funditùs Græciam miscuisse ferebatur. Hac verò loquente, qui Vultus Vocisúe sonus! quanta excellentia celsitudoque Sermonis! Audire etiam operæpretium Superis fuit, tantæ Inuentionis ingenium, tam facundæ vbertatis Eloquium, tã capacis Memoriæ Recordationisque thesaurum. Qualis Disponendi ordo! quàm Pronunciandi congruens modulatio! qui Gestus in motu! quæ profunditas in conceptu! Deniq; Exilis in Modicis, in Mediocribus Facilis, in Elatione Flammatrix. reddebatque cunctos in Ambiguis Dociles, in Persuasione Cedentes, in Collisione Discordes, in Laudibus Arrogantes. At vero cùm quid commotum publici nominis attestatione clamauerat, fluctuare, permisceri, ardere omnia videbantur.

INDEX ET ORDO

ORATIONVM:

ITEM

NOMINVM

AVSPICALIVM,

Quibus Orationes singulæ Inscriptæ:

II. Perillustri & Reuerendissimo RVGERIO TRITONIO, Abbati Pinaroliensi.

III. Nobili viro MELCHIORI VELTWYCKIO, Serio Amico.

IV. Illustrissimo & Excellētissimo Principi Io. FERD. VELASQVIO, Magistro Equitum Castellæ, &c.

V. Viro Clarissimo PETRO CANTONIO, I.C. Mediolanensi.

VI. Reuerendissimo P. D. TIMOTHEO BAROFFIO, Cartusiæ Ticinensis Priori, Conuisitatori Insubriæ.

VII. Nobilissimæ Stirpis & Indolis CAROLO BORROMAEO, Studiosæ Juuentutis Principi.

VIII. Illustrissimo LAVRENTIO POLO, Magistratus Extraordinarii Præsidi.

IX. Viro Clarissimo JOANNI WOVERIO, Musarum & Gratiarum Ocello.

X. Ornatissimis & Prudentissimis Viris JOH. BAPT. SACCO, Senatui Mediol. à Secretis; & BONIFACIO, Ærarii Regii Ratiocinatori, Fratribus.

AD

AD

VIRVM CLARISS.

ERYCIVM PVTEANVM,

RHETOREM,

&

ORATOREM.

RHETORIS *egregiè qui præstat & Oratoris*
Et voce & scriptis insimul officium,
Non è pluribus hic, tunicatâ aut fece; sed omnes
Doctoris pariter qui teneat numeros.
Quales hi quondam, Argolici qui gloria pallI
Dicendiq; velut regula certa cluent.
Qualis item Marcus flos deliciæq; Quiritum,
Tuq; immane togæ Quintiliane decus.
At tu nunc PVTEANE, *super quem insignia laudis*
Plurima, & ista duplex infula condecorat,
Vt præcepta simul des edecumata, tuique
Ipsius exemplo, quid deceat, doceas.
Nam qui scriptorum mel gustauere tuorum,
Antiquis iurent edita temporibus.
Qui melos hauserunt facientis verba Suadam,
Ipsam audisse putent & Venerem & Charites.
Ergo iure tibi resonant subsellia plausu,
Et grande exertâ voce Sophos repetunt.
Ergo iam merito Famæ versaris in ore,
Et posthac seclis innumerabilibus.

PHILIPPVS RVBENIVS.

ERYCI PVTEANI

SVADA AVSPICALIS,

SIVE

ORATIONVM

SELECTARVM

PRÆMETIVM.

ERYCI PVTEANI

SVADA AVSPICALIS.

Excellentissimo

SENATVI

MEDIOLANENSI.

ORATIONEM, *quam nuper lingua; nunc manu ad vos defero, magni* SENATORES: *sed eamdem prorsus; ut eiusdem non auriti tantùm, sed oculati quoque arbitri & censores sitis, inter tot censores. Defero autem* LVBENS MERITO, *ritu & formulâ priscâ. Lubens, quia petitis: merito, quia exigitis. Petitis enim, vt ceu meam videatis, quia dixi: exigitis, vt ceu vestram habeatis, quia audiuistis. Quare non inuitus petentibus vobis do, cum exigere possitis: nec morosus persoluo exigentibus, cum dare videar. Soluendo itaque beneficium do, quia vobis soluo: & dando accipio, quia vobis do. imò verò honorem vos aliquem recipitis, quem à vobis do. Coruscum scilicet illum radium, quo me dicentem coram perfudistis, debili, sed laudabili hoc conatu reflecto & regero: id est, minorem reddo lucem, quàm accepi. Quantulam enim reddo! quantam verò accepi! Curiæ maiestas in Scholis mihi fulsit: & prisca litterarum felicitas excipere Orationem meam visa est, quam æternitate donastis. In illâ igitur ego viuam; & sic per vos: hoc etiam perennior, quòd per vos, qui post audiendi tædium, legendi quoque molestiam subitis. Viuite: & Annum, ac Seculum hoc feliciter incipite, atq; transigite. Mediolani, Kalendis Anni* ∞.IↃ.CI.

ORATIO I.

PRO TITVLO PROFESSORIO GRATIARVM ACTIO,

Ad Senatum Mediolanensem.

DVO rei litterariæ esse munimenta, Amplissimi SENATORES, vsu rerum, & lapsu temporum discimus: Doctorum industriam ac copiam: & Fautorum auctoritatem ac potentiam. Doctores autem Fautorum aurâ nauigare; Fautores sine Doctorum operâ non prodesse. Vtrosque bono litterarum post litteras natas, vrbs vrbium Mediolanum habuit: post denatas retinuit aut restituit; vt cùm vbique terrarum ruina ac fatum studiorum esset, hic vigor & honor, inter media arma, in tumultu ac rabie Barbarorum. Postquam verò excusso illo iugo, respirare passim liberè Elegantiarum scena, & pallentes facies artusq; laborantes in vires coloremq; pristinum reducere cœpit; dici non potest quis feruor ingeniorũ exarsit in vrbe vestrâ non conseruandæ, sed ampliandæ libertatis. Inter curas Reip. fuit, litteras, in litteris autem ELOQVENTIAM quam maxime florere. cui muneri admotos patrum seculo (ne noctem illam temporum repetam) prę-stantes aliquot viros: nostro, MERVLAM, MAIORAGIVM, & CICEREIVM meminimus, viros Erudi-

ruditione & Industriâ magnos; maiores autem postquàm meminimus: sic homines æquiùs, aut beniginiùs censemus, cùm homines reliquerunt. Tanti erat vltima illa lumina non extingui; vt Scholę ipsæ luctum induëtes, silentio ingemuerint; & PRIMAM ELOQVENTIÆ REGVLAM paullisper consistere atque obmutescere passæ sint. Vos etiam Ampliss. Viri, Fautorum nomen professi, ardorem publicum quietis aliquâ patientiâ, velut cinere tectum, cohibuistis; vt nouã hanc scintillam excitando, ab interuallo alicuius caliginis commendaretis. Fecistis: & quid nisi prudenter fecistis? Equidem vellem hac imagine modestiam meam obumbrare, ruborem tegere, verecundiam probare: sed res ipsa cogit sine vllo verborum nubilo aut schemate loqui; vt frequentissima illa, nec minùs attenta à multis retro annis corona, quæ confluxit, audiendi velut fundamenta quædam accipiat. Iam Peregrinationis ætas & ingenium patiens videbatur; & doctorum virorum consilio in Italiam vêni: in Theatro hoc hominum, virtutumque substiti: ore & stilo innotui, ac melioribus me probaui. Quid multis? eò multorum desideria ac vota ibant, vt successor CICEREIO darer. Cùm interea Hygeiam inimicam experirer, Patauiumque aëris, & Perillustris IO. VINC. PINELLI causâ secedens, litterario otio recrearer, Decretum SENATVS accessit; & absens ELOQVENTIÆ PROFESSOR creatus sum. O spes! ò vota! Quid magnificentius, quid gloriosius sperare, imò optare hoc Munere potui? cuius si magnitudinem specto, fateri cogor

pænè immerenti collatum esse: si promptitudinem eorum qui contulerunt, sine molestiâ vllâ obtentum: vt sic beneficentia SENATVS vndequaque perfecta & absoluta videatur, nec merito meo imminuta, nec petitione extorta. Merentem enim munerari, prœmium, haut beneficium est: beneficii quoque gratiam petitio labefactat. Ego vero neque petiui hunc honorem (etsi cupiui) verecundiâ retardatus; neque merui, ætate destitutus: tu tamen Amplissime ORDO tanquàm petenti cõfers, ne quid negasse ei videare, quem meruisse existimas: tanquàm merenti exsoluis, vt debuisse te illi fateare, qui non petierat. Sic igitur agnosco beneficium, ne ingratus videar; & glorior quoque, vt æstimare me ostendam: intelligere enim non possum, nisi palàm profitear; nec profiteri, nisi meruisse videar. est enim demùm verum beneficium, beneficio dignum censeri. Iure quodam affirmare possum, etsi tot eruditos & claros viros, quorũ in locũ veni, & prouectior ętas, & virtus maturior ad publicum hoc Munus euexi; me tamen felicitate quadam secretum ab illis videri. Siqui fuêre, quos ambitio exercuit, non prensaui: qui assiduitate expressere, non coëgi: qui oblati occasione, non adfui. Cogitatione tamen suspendi hic sermo meus à nonnemine possit, & Veritatis Modestiæque vadimonio sisti, siue qui falsum, siue qui ambitiosum existimabit. Amici operam absenti dederunt, caussam egerunt. Ego verò gaudeo, & ingenio meo gratulor, quod nullo Patriæ, nullo sanguinis iure commendatus, amicos, & amicos

veros

veros reppererim in alieno ſolo qui quòd amãt, hoc tam ſedulam operam præſtiterunt; quòd verè amãt, hoc opinioni alicuius virtutis adſcripſerunt. Qui tamen Amici illi ſunt, quorum ipſe operâ ambiuiſſe, ipſe extorſiſſe, ipſe adfuiſſe videar? Quinam? num in hoc ipſo conſeſſu adſunt? adſunt, imò eminent: adſunt, & ipſo vultu beneficium ſuſtinent: adſunt, nec à Senatu remoti ſunt. Ego iam oculis notaui, aut mente cõcepi ſingulos; ac profectò vereor, ne ſi aliquos nominem, in idem omnes officium beneficiũque includi debeant. Nomino tamen; ſed eos duntaxat, qui nomine meo petiiſſe videantur: vt nõ petiiſſe, aut propemodum à ſe ipſos petiiſſe dicas. Excellentiſſimum DIDACVM SALAZARIVM, Cancellarium Magnum: Perilluſtrem FREDERICVM QVINCTIVM, Regii Fiſci Aduocatum: Clariſſimum Io. BAPT. SACCVM, Senatui à ſecretis. Viros, in ſuo quemque gradu, eximios, Honoris noſtri Petitores quidem: ſed tamen velut Datores. Petitores; ſed tuâ vnîus Doctiſſime LVD. SEPTALI, cauſsâ: qui etſi ea omnia, quæ à patre filius ſperet, amore mei feciſti & facis; laudem tamen non admittis, quod merito te meo facere exiſtimas. Ego verò & debeo laudem, quia ſic exiſtimas: & dicturio, quia non admittis. Incitor enim, quia prohibes, & quemadmodum illi qui de cliuo ruunt, pronus feror, ardens ipſo motu. Vtinam verò ius mihi poteſtaſque feruorem hunc & æſtum orationis quodam torrente reſtinguere, vt æſtimare beneficiũ videar. Sed nec onerabo modeſtiã tuã; & quia Petitionis honorẽ tu recuſas, ne pe-

tiisse ipse videar, transferam vela, patiarq; vt nictu & nutu tuo, velut clauo quodam, dictionis meæ prora ad rectum cursum inclinet: etsi hic quoque difficultatem ac remoram esse intelligam, periculumque, ne si laudes SENATVS persequar, impar conatui oratio euadat. Obstrictus equidem sum Ordini grauissimo ob Auctoritatem, splendidissimo ob Dignitatem, prudentissimo ob Doctrinam rerumque vsum. Vt Cyneas olim Pyrrhi Regis legatus Romam: sic Mediolanum ego lustrans, de Vrbe & SENATV Mediolanensi, quod ille de Romano, pronuncio: *Illam Templum, hunc Regum quendam consessum videri.* Priscorum enim & à Romulo conscriptorũ Patrum grauitatem, sapientiam, maiestatem recognoscere mihi videor, quoties illustres hosce viros, an heröes dicam? contemplor: pauciores numero, sed virtute meliores; posteriores tempore, sed famâ certiores. Hactenùs quidem è numerosâ illâ multitudine, quam Vrbis Conditor conscripserat, & æuum postea auxerat, paucorum admodum memoria viuit; reliquos obliuionis velut tenebris inuolutos, & quasi sepultos Anna Perenna ab ignoratione vindicare, nec scire Posteritas potuit: horum autem omnium & Nomina, & Virtutes vitales, omnique æuo diuturniores auguror. Nomina non trabibus aut saxis tantum, quibus ruina sua est; sed monumentis æternæ laudis incidenda. hanc enim gratiam litteræ referent, nec intercidere eorum cognitionem sinent, per quos ipsæ viuunt. Virtutes autem, tanquam *Lucida sidera*, stricturas radiosque

que immortalitatis suæ ad posteros mittent: & si per naturam liceat, retrò flectent ad memoriam Maiorum. QVI conduxerint, amplius non dico: quem conduxerint; sed quo STIPENDIO, quâ ÆTATE, paucis multorum caussâ dico. Et sanè quod ad Stipendium attinet, modesta hæc quædam felicitas est, quę nullius inuidiam pascere meritò debeat. Quòd de SENATVS liberalitate non queror, beatus sum: beatior autem, quòd immodico lucro minimè afficior. Itaque iactet Eumenius Rhetor sexcẽta HS. sua: alii quingena sua: alii centena sua: ego NOVENA mea vtens, non stipans, in lucro Honorem ponam. Epicuri vocem minimè Epicuréam veneror & imitor: *Cui pauca non sufficiunt, ei nihil satis esse.* Scio etiam, *quemque non quãto plura possidet, sed quanto pauciora optat; tanto locupletiorem.* plurimum enim habet, qui desiderat minimum: habet autem quantũ vult, qui vult minimum. Si rectè philosophari volumus, *omnibus ad vitæ munia vtendis* (vt Madaurensis ille scribit) *quicquid aptam moderationem supragraditur, oneri potiùs, quam vsui exuberat. Igitur & immodicæ diuitiæ, velut ingentia ac enormia gubernacula, faciliùs mergunt, quam regunt; quòd habent irritam copiam, noxiam nimietatem.* Illud verò ad Stipendiũ accedit, quòd eodẽ illo tempore, quo ad Remp. Excellentissimus PRINCEPS noster PETRVS ENRIQVEZ ACEVEDIVS, Comes Fontanus accessit; ad publicũ hoc Mun⁹ à SENATV promotus sim. Ergò nõ alia me pagina Professorem quàm PRINCIPEM Gubernatorẽ accipiet; & obscurum humileq; nostrum nomẽ

addetur fastis, quibus ille præscribitur. O lumē, quod accipio; imò quod accipiam ab illo Sole! vnus è paucis, quia pauci in conspectum eius famæ veniunt: vnus è Belgis, & ab illo, qui Belgas vnus victoriis suis maximè illustrauit. O lumen, quod cum ipso THALETE meo I. LIPSIO participo ac diffundo! Nam qualem tu, ò PRINCEPS, Doctorē meum, cùm Regii Historiographi titulum, à Rege datum, conferres, inuenisti: talem, te Principe, me Auditorē SENATVS Regius fecit. Professor ille erat, ego factus sum: & ne Honoris interuallum periret, Historiographus ille factus, vt Professor fierem. Gratulor itaque Doctori, qui Muneris sui consortem patitur, quem fecit: gratulor mihi, qui eodem cum Doctore nomine vtor: gratulor vtrique, quod Honoris hos titulos ad eundem illum PRINCIPEM referamus. Ad ÆTATEM me vocas? Sequor; etsi inuitus: os sanguis, animum pudor occupat, cùm me ipsum & annos cogito: cùm hunc locum, quo conspicior: cathedram, quam impleo: vestigium, quod premo: vocem, quam sequor, non dicam tot Clarorum ac Doctorum virorum; sed, à quo vno maiestas quædam, & æternitas huic Muneri, & Scholæ promanat, D. AVGVSTINI. ò Virum! ò Doctrinam! Quis nunc ingenii mei vires non culpet? sed inprimis Ætatem non reiiciat? SENATVS tamen iudicium suum interposuit, & Honorem hunc Ætati habuit; imò Ætatem præuertit. meritò an immeritò, inuitus mehercules decerno: quia nec fas est, Senatusconsulto de me facto derogare: & onerosum, admittere laudem, cui

cui Ætas ſufficere non videatur. Magnam prouinciam cepi; hoc tamen minorem, quod accepi: in quâ ſiue annos animo Collatores donãt, extra inuidiam ſum; ſiue ingenium promouent, extra reprehenſionem. Iniqui autem & ignari humanæ conditionis ſimus, ſi Annariarum Legum tenaces, indolem virtutemq́; omnem temporis limitibus concludamus. Quemadmodum fruticem interdum fructu lætum ac floridum, arborem contrà proceram vetulamq́ue, infelicem: ſic in puero virum vidimus, & puerum in viro. Erras, erras, ſi Virtutis, quàm Ætatis curſum tardiorem exiſtimas. *Veteres illi* (vt Marcus Tullius ait) *Leges Annales non habuerunt, quas multis poſt annis attulit ambitio, vt gradus eſſent petitionis inter æquales. quâ re factum fuit, vt magna ſæpe indoles virtutis, priuſquam Reip. prodeſſe poſſet, extincta fuerit.* Annos itaq́;, & ſimul eruditionem mihi deeſſe concedo: animũ & temporis ſpatium ad perfectionẽ aliquam ſupereſſe contendo, illo Menandri vtens:

Πολλοὺς ὁ καιρὸς ἄνδρας οὐκ ὄντας ποιεῖ.
Pleroſq́; tempus non viros, viros facit.

Tempus autem non præſumo, virum præſumo, perfectionem, non vitam: cuius tam breue incertumq́ue curriculum eſſe ſcimus, vt metam quiſque tangat, etiam ante metam. Metam inquam, ſed ab Æterno illo Finitore præſcriptam. Vt ille qui iter facit, milliaria iam ſibi lapidum diſtinctione præmenſa inuenit, non diſtinguit; ſic qui vitæ huius viam ingreſſus eſt, annos ſuos

complet, non proterminat; accipit, non ſumit; finit, non definit. Motum itaque noſtrum habemus, ſed & modum; nullamque ætas ſecuritatem vitæ præſtat: virtutis tamen præſtat. Inſigne & argutum exſtat Platonis ſcomma, quo Agrigentinos, conuiuia pariter & ædificia ad ambitionem ſtruentes percuſſit: *Agrigentini ædificant, tanquam ſemper victuri; & comedunt, tanquam ſemper morituri.* Ego verò ita litterarum illud nectar hauriam, ita Auditores meos inſtruam, tanquam parùm victurus: ita viuam, tanquam ſemper docturus. Nam etſi diſcendo aliquantum profeci; ſupereſſe tamen nō nego quod diſcam ad docendum: nec diſcentibus tantum; ſed docentibus ſuum quoq; tirocinium eſſe, incunabula, & rudimentum. Qui currum regit, & habenas moderatur, dum vectores ſuos transfert, ipſe etiam transfertur: ſic qui bonas Artes profitetur, dum alios inſtruit, ſeipſum inſtruit; & tanquam dux viæ, ſternit viam, quam non ſtratam ipſe inſtiterat. Ne verò ingenio meo diffidam, laboremque ſuſceptum refugiam, tu I. LIPSI, delicium generis humani: tu IO. VINC. PINELLE, Italiæ tuæ oraculum, facitis, qui ea inſtillaſtis, infudiſtis, quæ palàm promere, & in publico poſſim eliquare. Duo itaque hi viri, quorum alterius Schola pro Lare ac domicilio, alterius domicilium pro Schola fuit, delibatum honorem ſuum querantur, ſi modeſtia mea omnem omnino eruditionis confeſſionem excludat. In quâ illud obſeruandum mihi eſſe intelligo, ne tam quid ego didicerim; quam quid ab illis

ſis acceperim,innoteſcat. Recte à Thalete Mileſio id præſcriptum fuit, qui Mandraytum Prieneſem, cum noua & ſubtilia quædam de cœlo,& ſole docuiſſet, hanc vnam à liberalitate offerentis mercedem doctrinæ admiſit, vt docuiſſe intelligeretur. O veram mercedem! O magnā mercedem! quam Doctoribus tuis tu quoq; Iuuentus dependes. Perit enim inſtructio, niſi inſtructorē agnoſcas: perit profectus, niſi per quē profeceris, fatearis: perit beneficium, ſi admittas, nec æſtimes. Meritum enim facientis quidem conatus affectat; ſed voluntas accipiētis facit: vt etiam exigua beneficia maximorum gratiā induant, ſi in liberalem & confitentem contuleris: maxima autem apud ingratum minora fiant ac vileſcant. LIPSIO meo olim (lubet enim meminiſſe) in Apobaterio piè magis, quam ornate cecini:

Mercedem dabo quam recepit ille
Septem de numero THALES *Sophorum,*
Non bulgâ, aſt animo: nec ære, ſed ore:
Meæ LIPSIVS *Eruditionis,*
Si quidquam tamen Eruditionis;
Mei LIPSIVS *auctor eſt Honoris,*
Si quidquam tamen eſt, eritue Honoris.

Ego verò hac te neceſſitate mi auditor libero: nihil tecum paciſcor, nihil mihi poſco dependi. Siquis mea opera profeciſſe ſe intelliget, me riuum eſſe, & ab ipſo fonte accepiſſe. Quod tibi & Doctrinæ debes exſolue: ne virtutem litteris poſteriorem habeas. In vliginoſo agro, qui molem ſtruit, ruinam ſtruit, quâ ſepeliatur; vi-

tiis qui doctrinam iungit, adfert vitium quo lædatur. Philetas Cous Monogrammus ille, cum corpore tam macro esset, vt non tantum impulsu ictus; sed etiam vehementiori vento concussus in terram daretur, plumbeis vti soleis solebat, vt consisteret: sic tu debes quisquis à chartis pallorem, ac maciem à studio trahis, virtutem tibi substernere, ne admiratione tui adflatus in perniciem Reip. rapiaris ac concidas. Fallór?an ex superuacuo te vocis meæ remigio impello, meliori iam exemplo motum, velut spirãte aura, quę à subselliis istis, à PATRIÆ inquam PATRIBVS proficiscitur? Hi illi, qui cum in amplissimo Honoris gradu Doctissimi sint; Doctrinæ tamen Prudentiæque fructum in Virtute ponunt, Docti per Virtutem, per Doctrinam Boni. Sunt autem in Studiis tanti; vt nobiliores sint proprio Ingenio, quam Latoclauo: in Virtutibus tanti; vt Ingenium superent. Hi illi, qui cum Doctrinam sine Virtute non agnoscãt, Virtutem Doctrinâ exerceant; malunt tamen rectè agere, quàm scire, Reip. caussâ: scire etiam, quàm sciri, Modestiæ suæ caussâ. Sic igitur in illo culmine Dignitatis omnibus magni sunt, sibi ipsi parui: & verè magni, quòd dici recusent. Celebrantur enim ab omnibus, qui omnium præconia fugiunt: & locum honori faciũt, dum honore Modestiam exonerant. Honorem capiunt; nec ipsi tamen capiuntur. Tãta vero Virtutis cõfidentia est, aurę popularis contemptus; vt vitam domesticã produci in publicũ patiantur: publicã velint in occulto esse. sic laudẽ declinãtes, quam in publico merentur: & Continentiæ exẽplo in pu-

publicum consulentes, quod formant in occulto. Tu itaq; flos Vrbis, spes Patriæ Iuuentus, per stratam aut monstratam hanc viam Virtutis ad Doctrinam perge:& dum in ipsâ Studiorũ velut incude posita es, formantis manum admitte, disciplinæ illum ignem sustine, & exercitationi te compone. Quid est? num prægustum aliquem laborum flagitas? dabo, quia flagitas: nec passis solutisq; verbis, sed carmine prisci scriptoris; vt ipsâ auctoritate, & numerorum vinculis capiaris. Quid dico capiaris? insidiis minime opus est: animum, non laborem hæc studia poscunt. Si quis ergo magnis mentem applicat, & cultum ingenii amat:

——Det primos versibus annos,
Mæoniumq; bibat felici pectore fontem.
Mox & Socratico plenus grege, mittat habenas
Liber, & ingentis quatiat Demosthenis arma.
Hunc Romana manus circũfluat, & modo Graio
Exonerata sono mutet suffusa saporem.
Interdum subducta foro det pagina cursum,
Et fortuna sonet celeri distincta meatu:
Dent epulas, & bella truci memorata canore,
Grandiaq; indomiti Ciceronis verba minentur.
His animum succinge bonis: sic flumine largo
Plenus, Pierio defundes pectore verba.

Ecce tibi disciplinæ exemplar, ecce studiorum gradus; vt lectione seuerâ te ipsum mitiges; vt sapientiæ præceptis animum componas; vt atroci stilo verba effodias. Habes vero, vbi id præstes, publica, & priuata Gymnasia: habes & PALATINAS has Scholas. Hîc, vt sol omnibus

ſic eruditio lucet: vt in publico flumina, ſic ELOQVENTIA manat. Prodi igitur, & à priuato ſudore publicè quoque diſce; vt Reipublicæ te cauſsâ diſcere intelligas. Quemadmodum lactentes, qui maternis vberibus nutriuntur, nutricem non refugiunt: ſic in illâ Doctorum copiâ, è me Collegiſque meis hauries, quod pro palato & profectu tuo ſit. Tu modò marceſcere ætatis tuæ florem otio aut torpore ne ſinas, ſed magno animo gradiare, ne citra annos ingenium conſiſtat. Cogita quam ſpem alas, & quo viatico tibi vtendum. Ad Theologiam, Juriſprudentiam, Medicinam tranſis? Litterarum hæc ſtudia dirigent: ad Remp. & latum clauum? ducent: ad Militiam & arma? hinc præcepta, hinc exempla ſuppetent. Sed quid ego iſta copioſiùs? Bonas litteras amare & tractare æquè neceſſum eſt, ac non neceſſum laudare apud amantes. Deinde hunc campum liberum tibi faciam: hanc viam ſternam; vt vniuerſa hæc Humanitatis ſcena a te explicetur, elogio ornetur, ſtudio commendetur. Ita enim vniuerſæ Profeſſionis meæ rationem inſtituam; vt me ipſum (qualis qualis ſum) in Auditoribus quam breuiſſime cernam. quam vnam imaginem maximè opto, quam vnam contueri deſidero; animi, non corporis; in homine, non in lapide. Sic, Latium Græcumque peragrare inſtitui; Ritus, Sacra, & Hiſtoriam priſcam inſpicere, ad Ciceronianæ Academiæ ſpatia, & Romana Roſtra cuncta relaturus. Tu DEVS Æterne omnium Genitor, ipſe non genite, principio antiquior, fine diu-

diuturnior, infunde ab alto Sapientiæ tuæ radium, & mentẽ meam illuſtra, vt cum honore tuo, cum fructu noſtro ego docere, & iuuentus iſta à me doceri poſſit. Sic finio, & votum meum ad vos transfero, Ampliſſimi SENATORES, quos viuere, & vigere iubeo; imò cum vigere deſiiſtis, tamen viuere: vt ſi vigeatis prudentiæ veſtræ fructum; ſi vltrà viuatis, præſentiæ felicitatem ſentiamus. Viuere, & feliciter Remque Publicam, & Litterariam gerere: viuere, vt bonæ artes viuant; vt nos ipſos viuere delectet. DIXI.

Perilluſtri & Reuerendiſſimo

RVGERIO TRITONIO, ABBATI PINAROLIENSI.

STILO *aditum ad Amicitiam tuam ſterno, Perilluſtris & Reuerendiſſime Antiſtes, quem ritu & formulâ Laconicâ* θεῖον *iure meritò appello; quia amare & admirari cœpi, abſolutiſſimâ laude Virum. Sanè, Virum te Doctrina fecit, Prudentia perfecit; quam vtramque, comitem nunc indiuiduam habes, ad Famam & Aeternitatem. In magnâ Vrbe, & Aulâ verſaris: & ſic magnæ Vrbis, & Aulæ pars es, in rerum quodam freto tranquillus, in alto & Litterario otio feliciter occupatus. Felicem Vrbem tali ciue! Aulam, tali fulcro!*

& cur non me quoque tali Amico? Voueo; & Amicum te facio Munere isto meo, & simul Amore. Munus tibi debere videor, quia amo; Amorem, quia mereris. cum Munere autem Amorem tibi sisto; vt hunc commendem, illud extenuem: tuque ex ipsâ comparatione, alterius granditatem, alterius paruitatem deprehendens, ad amandum, non remunerandum prouoceris. Quà amo, non quà dono, mutuum stipulor; quia ecce donando restrictus sum. Ad prœmii namque & fœnoris spem quamdam conferri splendida illa & blandientia munera videntur: negligere siue recusare gratiam, qui pusillum donat. Sed annon hoc quoque satis gratiæ erit, si ad lancem & demensum amor? Satis: si laudem Virtutis æstimem. Habere enim supra vulgum nescio quid vulgò dicar, si tu, qui supra vulgum, non vulgariter me ames. Ita namque comparatum est, vt qui sacro amoris vinclo iuncti, morum & animi quadam similitudine censeantur. Sic Amicitiam ordior; & Orationem istam, te Auspice, ad ELOQVENTIÆ, *si non laudem, saltem spem emitto. Mediolani, Postridie Kal. Ianuar.* ∞ .IↃCII.

ORA-

ORATIO II.

BIENNII APOLOGISMVS, QVO RHETORIS OFFICIVM Adumbro,

Ad populum Mediolanensem.

IANVM Antiquitas, Auditores, Bicipitem, velut Prudentiæ quamdam imaginem, typumque finxit; vt in rebus consiliisque non tantùm quid actum, sed quid agendum quoque esset, pari lance expensum haberemus; & in futurum præmittere festinantes cogitationes soliciti, & adstricto quodam consilii freno cohibere ac reflectere cati, ad ea quæ præterita sunt. Rectè. Ratio enim transacti, forma quædã futuri est; vt si quid feliciter successerit, hoc ipsum securo exemplo affectare; si quid præter animi sententiam passi simus, euitare studeamus. Ego verò cùm in hoc studiorum principio, & non Iani dicam, sed Suadę limine Orationẽ more maiorum habiturus, essem, Muneris publici caussâ; ætatem hanc meam, dicendiq; verecundiam prudentiæ quadam affectatione supplere conatus sum; &, Bifrontẽ cogitans, elapsi successum anni breuiter referre, & instantis simul rationem disputare constitui; vt, bono omine, vos quoq;, Auditores, mentis illâ remorâ paullisper in præterito consistatis, mox orationis meę liquido & leni cursu in futu-

rũ transferendi. ita enim alii, industriâ meâ perspectâ, palàm intelligent, quem fructum deinceps ab ingenio meo spondere Reipub. possint, si specimen de præterito habeant: alii ab otio & vmbrâ emergẽtes, publicè discere, & simul videri cupient, si Orationis hoc gustu siue illice fuerint excitati. Conuenistis enim partim tamquã Auditores, vt subductam anni ratiunculã habeatis, quam sequamini: partim tamquam Iudices, vt cognoscatis, an Auditores merear. Ego vero in memoria omnium quæ dixi docuiq;, in oculis & conspectu esse cupio, quæ dicturus docturusq; sum: cùm docendo dicendoq; non necessariò ad lucrum, sed sponte ad laudem nitar, ab vmbratici Doctoris nomine & inertiâ alienus. Ad laudem dico, quam publicâ vtilitate metior. Publicè enim prodesse (respondeat modò Iuuentus, & agnoscant ii, à quorũ Iuuentus imperio pendet) Prodesse inquã publicè mens & voluntas mihi fuit; eritq; dũ munus ipsum erit. Sic cum laude munus functurus; etsi omninò effectũ non consequar; *quòd omnibus bonis in rebus*, vt Apuleius scriptum reliquit, *conatus in laude, effectus in casu est: ita vt contra in maleficiis etiã cogitata scelera, non perfecta adhuc vẽdicantur; cruẽtâ mente, purâ manu. Ergò sicut ad pœnam sufficit, meditari punienda: sic & ad laudem satis est, conari prædicanda.* Vos autem qui vtriusq; arbitri præsentiâ vestrâ facti estis, aures animumq; fultis aduertite, atq; decernite, conatum meum dumtaxat an effectũ quoq; laudandum in iis quæ feci censeatis: in iis autẽ quæ facturus sum, an preter conatũ effectũ quoq; sperare debeã. Quemadmodum

modùm illi qui cæleſtes è terreno domicilio regiones animi quodã itinere pererrant, ac Deorũ ſtellis illuſtres orbes, ſiderumq; curſus ad legem numerumque ſupputant; à Sole ſolent & orbe principe initiũ capere: ita ego ad Eloquentię hoc munus euect⁹, ab ipſo Atlante Cicerone, in quo vno potiſſimùm nititur Latini eloquii Suada, auſpicatus ſum. Hunc igitur & *pro Milone fortiſſimo viro orantem* repræſentaui; & *de Legibus, ad exemplum Platonis, philoſophantem* produxi. Quo conſilio? vt & Philorhetores mei rudimentum quoddã iuris acciperent; & Iuris tirones, oratorio hoc puluere perfuſi læta ac matura in forũ curiamq; ſtudia proferrent. Tã arcto enim hæc inter ſe nodo iũcta & nexa ſunt; vt ſine Iuriſprudentię adminiculo, trũca & imperfecta oratoris laus; & ſine Eloquẽtiæ armis, imbecillis ac eneruis Iuriſconſulti conat⁹ exiſtat. Date mihi paulliſper priſca illa Iuris Lumina, quorum Reſponſa vim Legum iure meritò obtinuerunt; illa antiqua Eloquentiæ decora, quorũ in dicendo venus, ardor, maieſtas emicuit: pariter omninò in Iuris ſtudio, & oratoriis præceptis elaborarunt. Sed de omnibus nimis longum eſſet ſingulatim dicere: vnũ Ciceronẽ, de quo ſermo eſt, in verborum meorum ſubſidium voco. Prodi igitur tu Oratorũ Princeps, & in Attici perſonã ſcribens, ſtudiorum tuorum rationẽ ob oculos nobis pone: imò tu potius Attice tributum tibi à Tullio ſermonem exſequere; vt alienum teſtimonium videatur, verbaq; fidem faciliùs inueniant. Atticum è primo de Legibus audite: *Quin igitur iſta ipſa explicas nobis his ſubſeciuis, vt ais, tẽporibus, &*

conſcribis de Iure Ciuili ſubtiliùs quàm cæteri? Nã à primo tempore ætatis Iuri ſtudere te memini, cum ipſe etiam ad Scæuolam ventitarem: neq; vnquam mihi viſus es ita te ad dicendum dediſſe, vt Ius Ciuile contemneres. Sed nunc ipſum quoq; Ciceronẽ proferre lubet, quem è Bruto vobis ſiſto: *Ego autem Iuris Ciuilis ſtudio, multùm operæ dabam Q. Scæuolæ P. filio, qui quamquàm nemini ad docendũ ſe dabat: tamen conſulentibus reſpondendo ſtudioſos audiendi docebat.* Quod Cicero igitur fecit, faciundum Auditoribus meis cenſui, eò etiam magis, quia ipſe feci, & trienniũ, poſtquàm Philoſophi titulo donatus ſum, antiquarum Legum tabulis impendi. illud autẽ quàm maximè in aliis cernere libido eſt, quod in nobiſmet ipſi expreſſimus; inprimis, ſi cũ fructu aliquo, atq; emolumẽto expreſſimus. Quia verò vniuerſa hæc Philologia noſtra in Lectione & Stilo poſita eſt, *Ratione Legendi optimos auctores, & Eligẽdi Methodũ* tradidi. *Scribendi Normã*, & *Declamandi Leges* dedi, eâ induſtriâ, & modo, quẽ (niſi me ingenium fallit) docti probent, indocti appetant: illi intelligant, hi ſuſpiciant. Deniq; *De Diſtinctionibus Syntagma* cõpoſui dictaui, edidi: de quo gaudere ipſe, quã dicere malo; ne non tam indicare induſtriã meã dicendo, quàm laudare velle videar, illam iam publicis typis conſignatam, publico iudicio commiſſam. Si quis fuit qui calumniæ ſuæ dentem innoxio & innocuo libello inprimere tentauerit, non me profectò læſit, ſed ſuum potiùs delirium patefecit, ridendumq́ue propoſuit. Quid autẽ? cur me ipſe torqueam? *hoc quoq; genus inuenitur* (vt olim Platonicus ille

con-

conquestus est) *qui meliores obtrectare malunt quam imitari ; & quorũ similitudinem desperent, eorum affectent simultatẽ.* Hęc quidem in publico fuêre: possem nunc quoq; priuatas *Exercitationes, Dissertationes, Scriptiones,* è muséo & Laris silentio, è Sole & vmbrâ, è campis & spatiis, huc in conspectum vestrum & clarissimam lucem proferre, quas nullo priuato commodo publicis Lectionibus adieci, & corollarii loco sectatoribus meis admensus sum; nisi iã publicè publico stipendio satisfecisse, & communi omniũ respondisse expectationi viderer. Sic igitur quæ transacta sunt dixi; imò quæ dicta sunt feci. dixi autẽ quia feci; nec feci tamen vti dicerem. Ego tamen vereor, vt quorumdam ingenia sunt, ne hęc ipsa, quæ alio quopiam referente magnifica laudisq; fœcunda fuissent, me ipso, qui feci, recensente, euanescãt. *Homines enim,* vti Plinio subscribo, *cùm rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt: ita si silenda feceris, factũ ipsum; si laudanda, quòd non sileas ipse, culpatur.* Quare iã conscientiâ meâ subnixus, breui faciliq; traiectu temporis de pręterito in futurum Orationem transmitto, vt quæ deinceps, quo ordine, quo modo aggressurus sim, in antecessum videatis. Cùm verò diligentiùs rem vniuersam expendo, difficiliorem Orationis partẽ, postquã è pręterito emersi, permensus mihi videor, securè, ac sine vllâ deinceps remorâ aut obstaculo dicturus. quæ enim trãsacta sunt, dicendo corrigere non licet: quæ vero præ manib. sunt, exsequẽdo, pro consilii ratione, mutare. Quocirca si probatis quę transacta sunt, iusto quoq; iudicio cẽsete quæ futura sũt; vt hęc

quoq; approbetis. Cũ dicendi facultas Arte, quę Naturam; & Exercitatione, quæ Imitationẽ comitem sibi adsciscit, constet; Eloquentiæ velut quadrigam quamdam paratã mihi video quam inscendam, & quam regam ad cœlestẽ & Phœbæum illum motum, donec anni ipsius conuersione, ad nouum Doctrinæ ordinem fuero trãslatus. Ab *Arte* igitur, siue *Præceptis* initium faciam: quæ dubiũ fuit, è prisco aliquo scriptore, Aristotele, Cicerone, Quinctiliano desumerem; an ex his omnibus meo quodam filo ac methodo concinnarem: eóq; tandem, libratis expensisq; vtrimq; rationibus, sententiæ meæ lancem inclinaui, vt ipse dictanda potiùs congererem, quã explicanda aliunde desumerẽ: sic desiderio multorum obsecuturus qui excipere doctrinam calamo, quã auribus malunt: sic quoq; temporis compendiũ facturus, ne vniuersus ille annus soli Arti impẽdatur. Tu qui voles, sume tibi *Quinctiliani Institutiones* interpretãdas; sed quid? an non tot libros, quot menses inuenceris? Sume *Ciceronis de Oratore* luculentum opus; annon citiùs ad anni terminum, quàm librorum finem appuleris? Sume laudatã *Aristotelis Rhetoricam*; annon plus tibi operis, quã temporis? Huiusmodi sanè libros incohare publicè cum pompâ & ostentatione licet: absoluere, nisi priuatim, cum emolumento non licet. Quid exemplis rem probo; & defectus scholarum publicos hîc recenseo? sed nec sententiam meam auctoritate defendo; etsi vestigia quorumdam video, qui rectam docendi viam strenuè calcarunt. Multos equidem offendo, si rem ipsam in vitio positam culpẽ: paucos

m hi

mihi demereor, ſi probos honeſtoſq; conatus elogio proſequar. Eò enim (ignoſcat mihi Scholæ Genius) prauo vſu declinatũ eſt, vt cùm plura in diſciplinarũ docendarũ ratione culpanda quã laudanda ſint, ſi laudauero, parcus, ſi culpauero, nimius fuiſſe videar; quamuis & laudando copioſus, & culpando reſtrictus exiſtã. Quid igitur? is ego ſũ, qui ab Ariſtotele, Cicerone, Quinctiliano, reliquiſq; docti pulueris magiſtris Iuuentutem abduco? nequaquam: ad eoſdẽ potius duco: omnes enim explicare aggredior, dum ſingulos negligo; & ab omnibus doctrinæ ſubſidiũ accipio, dum in nullius verba pertinaciter iuro. Et ſic tamen cũ meo omnia Marte dixero, dictauero, explicauero, aditus ad luculentiſſimos Auctores liber eſt, lectio integra, iudicium impeditum De *Arte* habuiſtis Auditores; vt *Naturam*, id eſt, Ingenium adferatis, verbis non præcipio. id enim à Deo pendet, & à Deo hominibus datur; etſi corrigere Naturæ aliquem defectum ipſa Exercitatione conceſſum eſt. Quare ad *Exercitationẽ* tranſeo, ac de eadem conſilii mei putatam rationem expono. Bonarum litterarum omniumq; artium intertrimentũ ac defectũ ab otio & deſidiâ natum eſſe, manifeſtũ euadet, ſi priſca illa ſecula & ſtudia contemplere. *Quis enim ignorat* (verba Quinctiliani ſunt) *& Eloquentiam, & cæteras Artes deſciuiſſe ab illâ vetere gloriâ, non inopiâ hominũ; ſed deſidiâ Iuuentutis, & negligentiâ parẽtum, & inſcientiâ præcipientium, & obliuione moris antiqui?* Non profectò inopiâ hominũ, aut ingeniorum. Ineptum enim eſſet, laſſam aut effœtam iam Naturã dicere, quaſi ingenii nobis vim con-

ſeruare nõ potuerit; cùm familiarem quoq; deſidiam noſtram (tantũ enim ingenio creſcimus, quantum induſtriâ deficimus) velut ſolicita mater mentis quodam incremento ſupplere videatur. Quo magis adnitendũ eſſe arbitror, vt cùm Natura ipſa conſpirantes, tantùm Exercitationi è more priſco impendamus, quantũ Eloquentiâ delectamur. Itaq;, vt ad exemplum veterum, ad profectum diſcentium omnis inſtitutio dirigatur, vocem ſtilumq; Auditorum meorum ſimul exercere inſtitui; vt hac velut face, & hoc viatico, ad vota feſtinẽt, & Famæ ſe inſerant. Hæc enim Doctoris laus eſt maxima, ad laudem Diſcipulũ promouere; imò hic vniuerſę Profeſſionis meæ finis eſt vt ad meũ ipſius nomen & munus quiſpiam è iuuentute iſtâ exſurgat. Quod vt Exercitatione conſequamur, *Imitatio* adiungenda eſt; ſed Imitatio non vnius tantùm, ſed vnius potiſſimùm Ciceronis, è quo ſine periculo vllo electionis decerpere omnia atq; libare liceat. Nam etſi inter veteres illos alii quoque fuerunt, qui dicendi gloriâ floruerunt; inueneris tamen, velut in ampliſſimo quodã campo, noxias alibi herbas ſterileſq; plãtas, quas ſine ætatis ac ſtili confirmati ſubſidio non diſcernas, ſine ſcriptionis tuę damno nõ decerpas; niſi Hortenſius ipſe, aut ex Hortenſiis fueris, magnoq; iudicio, ac ſelectu decerpſeris. Si fueris, repagulo ac limite omni remoto, ad nulla non Scriptorum te vireta ducam, imò impellam. Interim Ciceroni eumdem in Scholis & in hac Eloquentiæ Palæſtrâ locum faciam, quem pro Roſtris & in Academiâ olim dicendo ac ſcribendo obtinuit; vt primus legatur

tur atque audiatur. Sed quemadmodum periti ſculptores non vniuerſam ſtatim imaginem, verùm digniſſimam hominis partē caput præfigere tironi ſolent; vt ab ipsâ artis atque laboris auſpicium ſumatur: ita ego in ipſo Cicerone ſelectum faciens, illud potiſſimùm ſcriptū, ſiue fragmētum delineare aggrediar, in quo velut capite, elegantiarum omnium meatus ac domicilia, ipſiuſq; Philoſophiæ ac Philologiæ ſedes poſita eſt. Equidem cum attentionem & intentionem veſtram intueor, præiuiſſe tacitâ mēte indicium & nomenclaturam meam videmini: & cōcepiſſe librum, quem indicare geſtio: etſi nullum ego vobis conceptum malim; vt integrum potius aſſenſum veſtrum meo indicio merear, quam aut reuocare mentem, ſi cōiectando erraueritis, aut ex ſuperuacuo monere videar, ſi diuinando fueritis adſecuti. Sed ne verborū cunctatione vos ſuſpenſos habeam, Nomenclator ecce fio, ac titulum pronuncio. M. TVLLI SOMNIVM SCIPIONIS eſt: ſcriptum & elogiis veterum illuſtre, & per ſe vtile iucundumq;, velut Κέρας ἀμαλθείας, vberrimos ac lætiſſimos doctrinarū fructus repræſentans. Euoluite librum, excutite dictionē, expendite argumentum; iratas omnes Muſas perpetuo habeam, niſi volentes lubentesque in ſententiam meam pedibus eatis. De Cicerone quidem cum ſermo inſtituitur, neceſſum nō eſt elegantiam ſtili verbis adſtruere: neceſſum fortaſſe, perſuaſum habeatis, latere in aureo aurei huius ſcripti fundo, præter Grammaticę Rhetoricæq; theſauros, Arithmeticæ abacum, Muſicæ modos, Geometrię puluerem, Aſtronomię ima-

gines, Moralis, Politicæq; ac Naturalis Philosophiæ quamdam vmbram: quæ omnia & cognoscenda futuro Oratori sunt, si tam augustum sustinere nomē velit; sed ipsi ELOQVENTIÆ PROFESSORI cognita esse debent, nisi impar humeris onus suscepisse videatur. Quid mirum? Eloquentia quædam quasi Sapientia, id est, scientiarum omnium artiúmq; Orbis, Græcè ἐγκυκλοπαιδία appellari potest. Priscis enim illis temporibus, quibus rerum cognitio nata est, hæc vna scientia existimabatur, scientias omnes possidere. Postquàm verò paullatim hominum genus procliue à labore ad fastum luxumq; iret; vel certè latius hæ suos artes terminos propagarent, nimisq; arduum videretur in vniuerso genere singulos elaborare; secerni scientiæ cœperunt, & tamquam ex aliquo monte, riuorum ita ex hoc sapientię quasi iugo sunt doctrinarum diuortia facta: quæ in vnum tandem Eloquentiæ pelagus receptæ, denuò vniūtur. Etenim hæc illa studia, velut florida quædā prata sunt, & varietate constant. Quot istic flores, hic artes, quot istic herbæ hic disciplinæ. Quarum omniū radices Oratori indagandæ sunt, succi exprimendi, vis & ratio edocenda; si modo, vt hortorum experimēta ad corporis vsum: sic studiorum exercitia ad animi cultum referre nitatur. Quòd mortaliū vita in arctum à Naturâ conclusa, morborum molestiis, periculisq; obnoxia sit, quis neget herbarū siue neglectu, siue abusu maxime fieri; cum aut infestos nobis succos imperitiâ libamus, aut inertiâ negligimus? Primos enim illos mortales nō tantum Macrobios, siue longæuos, sed etiam sanos robustosq; hac potissimum de causâ fuisse

exi-

existimo, quòd herbarũ virtute, quarũ perfectissima cognitione præditi erant, corporis contractum aliquod vitium, aut naturæ mendum, statim ac facile corrigebant. Pariter prisco illo ęuo, cũ in honore, & cultu Artes ingenuę essent, non tantũ pura, ac læta Eloquentia florebat; sed spoliatum omni motu, ac cupidine animum virtute quisq; induebat: nunc verò quia ludibrio litterę sunt, ignauia, vanitas, ferocia Iuuẽtutem tenent. Et sic Doctores ipsi *necesse habent cum insanientibus furere. Nã nisi dixerint, quæ Adolescetuli probent, soli in scholis relinquentur. Sicut ficti adulatores cùm cœnas diuitũ captant, nihil prius meditantur, quàm vt quasdam insidias auribus faciant: sic Eloquẽtiæ magister, nisi tamquam piscator eam imposuerit hamis escam, quã scierit appetituros esse pisciculos, sine spe prædæ moratur in scopulo.* Sed quid hoc aliud, quã quod apud Agellium Taurus Philosophus conqueritur, legẽ discipulos dare quâ discant? *Alius ait: hoc me primum doce. Item alius, Hoc volo, inquit, discere, istud nolo. Hic à Symposio Platonis incipere gestit, propter Alcibiadis comessationem: ille à Phædro, propter Lysiæ orationẽ.* Quid ergò est? studio vincẽda obrepentia vitia sunt, & cum Eloquentia cæteræ quoq; artes delibandæ, sine quibus aridam insipidamq; Eloquentiã habeas. Pictorem censere solemus, non qui faciem dumtaxat hominis, sed qui reliqua quoq; membra, totumq; hominem, & nudũ curiosis oculis obiicere, & induere colorum quadam purpurâ queat: ita planè Oratorem arbitrari debemus, qui non tantũ ipsam suã Rhetoricã clamare, *de Quæstionum differentiis, Caussarum generibus*, cęterisq; illis publicè decantatis disserere; sed ex o-

mnium rerum puluillis nectere hanc floridæ Eloquentiæ corollam possit. A Græcis, Latinis, Barbaris, res & exempla petenda sunt, quæ verbis exornentur; & ex omni Scientiarum penu (quemadmodum Cicero copiosiùs in libris de Oratore prosecutus est) materia depromenda est, quæ oratione explicetur. Sic prisci illi Rhetores: sic nunc quoq; (nec enim recentia exempla spernenda sunt) qui voce & stilo publicè Iuuentutem ducunt: alii alibi; sed in Ticinensi vestro Athenæo, ille, quem proximè inspicio & suspicio, HENRICVS FARNESIVS, cuius ego industriam stimulum, doctrinam subsidium, auctoritatem exemplum habeo. Ac sic quidem quæ secundo hoc anno facturus sum, satis superq; dixisse mihi videor. Dixisse inquam, sed docenda publicâ caussâ, vt dicta docendo exsequar. Quod dum facio, conanti mihi album calculū vestrum adiicite: quemadmodum dicenti tranquillum silentium tribuistis. Quâ spe fretus, non ampliùs disputo, an cum fructu anni circulum partitus sim; sed laboro potiùs, vt eumdem illū fructum, iam spe maturum, & promisso vberem feliciter percipiatis. Vos hortor, quorum vacuum ingenii, vt ita dicam, etiam nunc horreum est; vt ex hac scholâ, tanquā è publico agro, copiosam messem colligatis. Vos rogo, quorū vt cū Poëta dicā,

—immensæ ruperunt horrea messes,

vt si non annonæ, certè animi caussâ spicas aliquot collectum eatis studii ac doctrinæ: sic clarissimum indicium habituri, quid Iuuentus vestra proficiat; quo pretio tempus litteris, silentiū Scholæ, seipsam Professori impendat. DIXI.

NOBILI

Nobili Viro

MELCHIORI VELTWYCKIO,

Serio Amico.

PAVCA *ista, & planè inter dicendum nata verba, ancipiti deliberatione suspendi nequaquam debent, cui dedicentur. Tibi Vir Nobilis, Vir Amice, cui nullum donum exiguum, ab Amico profectũ. Amicus certè sum; & quia sum, puro candidoque Simplicitatis studio exiguum hoc esse donum profiteor; aut signum potius doni, siue pignus. Sic accipe, & obstrictum me parumper etiam habe, vt ad lancem ac demensum redhostiam. Et nonne multos habes? Vnus è multis sum: imò hoc fine obstringis, vt habeas; diligis verò, vt obstringas. Qui vultũ inspicit, mores colligit, illos ex isto, niueos, amœnos, omni lepôre & humanitate perfusos; liberalitate effusos. Beneficium quis cupit, aut petit? præuenis celeri animo tardantis voti verecundiam, & impudentiam properantis ipsâ beneficentiâ corripis atque sistis. Ad hunc modum, qui cupit, capit beneficium; quasi culpæ etiam obnoxius, quod non petierit: & qui petit, capit; solâ auiditate confusus & infelix, quòd petierit. Sed cupiat, siue petat, confers tu certè: an vt exspectes & fœneres? imò ne quidem vt iactes. O' grandem hunc tuum, & pro exemplo animum! quem eumdem in Maioribus olim (Annales nostri testantur) & nuperâ memoriâ in* ARTHO *Auo; recenter in* PAVLO *Patre suspexerunt Belgæ & admirati sunt. Auus diuitias*

potens, splendidus, prudens, non familiæ solum sed Patriæ velut sidus fuit: Pater verò, maiora etiam moliens, cùm in otio & luxu transigere ætatem posset, Virtutē, & Virtutis præmium, secutus, & adsecutus est; & ob res benè gestas, benè consultas, à CAROLO QVINCTO *Imperatore Eques creatus. Magnus profectò iste honos: maior etiam, quia à tam magno; magnus, & qui in te felici nunc quoque seminio redundat. Tu cresce, robur sume, & pande sinum Virtutibus, vt in te Auum Patremque adflicta Patria inueniat. Deus faciet, tu facies; & Oratiunculam istam Amoris mei monumentum admittes. Mediolani,* IX. *Kal. Septembr.* ∞.IↃ C.V.

ORATIO III.

PARÆNETICA,

EX TEMPORE HABITA,

Ad Iuuentutem M.

PRIVSQVAM è carceribus in circum & curſum me proripio, Philologi iuuenes, ac indefeſſo vocis meæ motu doctum puluerem colligo noſtræ ſcholæ, adloqui hortarique paucis, & ſuccinctis velut verbis vos non paucos volui: vt dum illum, non terrarum cum poliorcete aliquo; ſed ſcientiarum artiumque cum ſapiente Orbem me duce ſubigitis, ſtrenui volenteſque in Eloquentiæ hiſce caſtris excubetis, ſtudio, frequentiâ, & animi vigili motu. Ego quidem facillimam adire mihi prouinciam videbor, ſi negotium apud faciles benignoſque erit: difficillimum, ſi apud refractarios aut moroſos. Inuitum enim docere æquè facilè, ac pertuſum vas replere; æquè vtile, ac laborem profundere. Quod non in eam ſententiam depromptum videri cupio, quaſi læuæ ſuſpicionis ſigna, aut querelarum cauſſæ ſuperſint; ſed vt pro laude monitio ſit, ſi currentes velim excitare. Amat enim audire quiſque, quod cum laude agit; vt quò monitione ducitur, per-

uenisse videatur. Ego verò moneo, ne laudare videar; moneo, vt sub hoc velut velo animus verecundus sine ambitione laudem inueniat. Adeste igitur, sed lubentes: adeste, sed ne coacti sitis: adeste, sed amore litterarum impulsi. Athenis olim in vestibulo Academiæ, vt Pausanias scribit, ara amoris exstabat: quid nisi, vt discendi ardorem animo conciperet, quisquis ad discẽdum introiret? Amor ipse Sapientiæ, ac Humanitati nomina imposuit, illa vt φιλοσοφία; hæc vt φιλολογία diceretur. Etenim magna pars profectus est, velle proficere. Voluntatem namque, velut nexu quodam conatus sequitur: conatum effectus. Vos autem vultis, conamini, efficitis, iam ipso otio lassi, & iustitio literarum. Etenim

——Vires instigat, alitque
Tempestiua quies. maior post otia virtus.

Quieuistis enim, velut post longiusculum iter, postquam meliores anni horæ Musarum studiis absumptæ sunt; discendo autem meruisse quietem videbamini, postquam tam sedulam continuamque docenti operam exhibueratis: & quiescendo ad nouum hornumq; laborem animati estis, postquam feriarum hanc moram lapsu temporis superastis. Itaque cuncta mihi à vobis denuò, vobis à me polliceor. mihi à vobis, cum ingenium vestrum in optima studia procliue: vobis à me, cum labor & industria mea publicæ vtilitati consecrata, in aperto sit. Sic pronus promptusque sum; quia pariter vos affectos cerno, in me, bonasque artes: promptus studio,

pro-

pronus: naturâ promptus ſtudio, prõptus naturâ, pronus ſtudio, pronus naturâ: vt vocis pectoriſque ad vos riuum ducam, quem ingenii quodam alueo, mentiſque ripis excipiatis. Sed frequentiam voco, frequentiam voueo: & merito, in tanta vrbe, in tanta iuuentute. Vt qui annonam curant, in vbere prouentu bonam ſolent partem in ſementem reſeruare: ſic qui bonas artes profitentur, florem ſibi ingeniorum non immeritò depoſcunt, vt Reip. adoleſcat. Publicè id fieri non inficias ibit, qui publicum, non priuatũ quærit. Mihi autem nullus numerus ſatis eſt; etſi, meâ quidem cauſsâ, vel exiguus ſatis, ſi ſic cum fructu docere videor. Sed Auditorum copia, tantum abeſt, vt aridum aut ſiccum me faciat, vt venas tuboſq; Eloquentiæ atq; Eruditionis laxatura ſit. Omnibus enim paro, quod ſingulis: & haurient omnes, quod ſinguli; imò ſinguli, quod omnes. *Non enim vox vlla Præceptoris,* Quinctiliano ſcribente, *vt cœna, minùs pluribus ſufficit: ſed vt Sol vniuerſis idem lucis caloriſq; largitur.* Itaque non impedior frequentiâ veſtrâ; ſed nec vos ipſi impedimini. Nam vt ille qui in Solem venit, non ideò minùs calorem ſentit, quòd cùm multis venit: ſic neque ſi cum multis me audis, minus audias: nec ſi ſolus diſcas, plus diſcas; ſed ſi inter plures plura diſcere cupias. O felix ſtudiorum æmulatio! ſine contentione laudabilis, ſine inuidiâ fertilis, quæ naſcitur inter plures, feruet inter plures: quæ naſcitur ſine malo, alitur ſine dolo, feruet ſine malo dolo: quæ naſcitur, alitur, feruet tranquillo incendio, & felici flamma. Pluribus verbis non vtor,

ne frequentiam verbis ſtipuler, quam vultu geſtuque iam vltrò deſpondiſtis. Ergò deſponſam accipio: Deumque precor, vt cum Muſis Hygiam propitiam, & parem è ſtudiis deſiderio fructum habeatis. Vos autem ſuauiſſimi hoſpites & amici, GVILIELME RICHARDOTE, & PHILIPPE RVBENI, qui, vt diſſerentem PVTEANVM in hac luce audiretis, pedem ex itinere, priùs in Scholam, quàm hoſpitium poſuiſtis, Feliciter poſueritis; vt æterna veſtigia impreſſa maneant, mihi in gaudiũ, iuuentuti in exemplum, quod meâ iuuentus, ego iuuentutis cauſsâ voueo; & Peregrinationem vobis ex animi ſententia felicem. DIXI.

Illuſtriſsimo & Excellentiſsimo

PRINCIPI

IO. FERD. VELASQVIO, MAGISTRO EQVITVM Caſtellæ, &c.

TIBI *Magne* PRINCEPS, *inſcribo hoc iſtud Oratorium munus: & fortaſſis ipſe mihi impudentiæ notam, quòd leuidenſe munus. Quo Doctrinæ, Virtutis, ac ſplendoris gradu inter mortales emineas, neminem mortalium fugit: vt planè mihi videar, ſi incultus Orator ad Famæ tuæ aram acceſſero, præſens aliquod numen violare. Quia tamen*

Etiam

Etiam Phœbo gratissima dona Cres tulit;
Nec Diis ipsis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu:
Hic quoque sit gratus paruus labor.

Paruus; quem magnum hoc ipso facies, quòd admittes; & quē ego sic paruū inscribo tamen, quia debere videor. DE RHETORIBVS SCHOLISQ. MEDIOLANENSIVM *Oratio est: hanc debeo. & sic tibi Rhetores ipsi. Illam ego; quia felici, & vitali fauoris tui aurâ concepi. Itaque nata, & edita nomini quoque tuo sacra legatur, vnde vitam traxit; cùm etiam diurnare inter perennia monumenta non possit, nisi legatur. Vt enim herbæ quædam in Sole exortæ, in vmbrâ emoriūtur: ita hoc scriptum natali suo radio destitutum, vietum ac caducū sit. Rhetores autem, ab ipsis tenebris & interitu ad memoriā hominum postliminiò reuocati, nouos natales tibi acceptos referunt: quib. nouos ego emortuales faciā, nisi referant. nec enim mihi qui scripsi sed tibi cuius auspicio scripsi, vitæ & famæ beneficiū debent. A te verò ad scribendum excitatus sum: tu animū addidisti; vt, cùm spes iniecta esset tituli Historiographici apud Mediolanenses obtinendi, vires meæ Suadæ in hac Rhetorum difficili historiâ experiri ausus fuerim, quæ etsi muneri meo proxima, omnem tamen Antiquitatis memoriam exspirasse videbatur. Sed Deus adfuit, tu adfuisti, & sic plurium seculorum emortua gloria Dei tuoq; beneficio reuixit. Hactenùs verò velut in vmbra Historiæ lusi, in plenam lucem progressurus, si plenum scribendi ius accipiam. Fac magne Princeps, & vrbem hanc æternâ memoriâ tuam, me vsu mancipioq; tuum benignè respice. Multa magnaq; hactenus tua in vrbem beneficia*

sunt: sed quasi parùm sit, præsens tibi seculum obstrictum habere, extendes munificentiam tuam, vt de Posteritate quoque benè merearis. Neglectæ res, & historiæ Mediolanensium iacent, & obliuionis vitio pænè patrio caret exemplo virtus: fac per te Maiorum facta cognoscant posteri; facturi ipsi ne silentio obruantur. Multa etiam magnaq́; hactenùs tua in me beneficia sunt; sed ad culmen ipsum votorum videbor euehi, si ad Historicum hoc munus. Felix, si euehar: felicior, si a te; cui, vt primo omnium Historiæ honorem debebo: ita facillimè exsoluam. nullo enim negotio tabulas meas impletum tuis laudibus ibo, qui ipse iam virtutum tuarum famâ orbem terrarum impleuisti. Quod reliquum est,

Te duce vel Iouis arma canam, cœloque minantem
Cæum, Phlegræis Oromedonta iugis:
Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar, & cæso mœnia firma Remo.

Viue Magne Princeps, & immortalitatem habe.
Mediolani, VII. *Eid. Iun.* ∞.IↃ cIII.

ORA-

ORATIO IV.

DE RHETORIBVS, ET SCHOLIS PALATINIS Mediolanensium:

Ad Præfectum, & XII. Viros Vrbis.

ALTERAM ROMAM MEDIOLANVM dicere, Perillustres Viri, vetus, verumque elogium est. Quæ enim duo *Romanos rerum dominos, gentemq́; togatam* ad Deos pæne euexerunt, armorum disciplina, & litterarum studium, ita vrbs vestra olim complexa est, vt domi militiæque ad Romanam gloriam processerit. Sed arma quidem, etsi internis seditionibus sæpius fatigata, ad terrorem orbis fuissent, nisi Virtuti Fortuna inuidisset. Inter arma collisæ sæpiùs Reipublicæ vulnera litterarum subsidio sanata, nunc quoque iactari gaudent. Sic felix ROMA, totius orbis victoriis clara: tu quoque felix ALTERA ROMA, quæ victa, Victricis gloriam æmularis. Illius fortunam Mars, & horrida quædam virtus: tuam famam litteræ promouerunt; vt mihi quidem videare Martem ipsum litteris, & inprimis Eloquentiâ, debellasse. Eloquentia in-

quam, quæ Mediolani potissimum floruit, publicè in foro, & in Scholis quoque culta: an in his ipsis, in quibus Suadę nũc cottidie litamus? in his ipsis, quæ PALATINÆ publico nomine dicuntur? Id inuestigatum eo, vt ostendam Scholas istas, inter antiquissima Vrbis ornamẽta, dignas iuuentute vestra esse; & munus ipsum honestissimum, inter titulos ciuiles. De RHETORIBVS enim dicam, eos à mille, & octingentis ampliùs annis perpetuos; nec è plębe, sed meliori ferè numero hîc fuisse: non minùs Professionis gloria, quam stirpis claros; qui libentiùs Professionis gloriam, quam stirpis vsurparunt. Decuit, & nunc decet; cùm illustrius, mereri posteros Professione nobiles, quàm stirpe parentes recensere: facere sibi nomen, quàm accipere; nisi acceptum noua industria extendatur.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus.

Virtuti proximum, largo & exundante ingenii fonte irrigare iuuentutem publicè posse, & ad prudentiam præparare. Ego certè, cui post tot insignes, & eruditos viros, docere in his Scholis contigit, etiam extra Scholas, & maiorum aliquod lumen, & pompam imaginum habeam; longè tamen suauiorem in Scholis famam degustare videor, quia ex me natam. Ecce autem, vt pænè in periculum modestiam meam voco, dum à publicis vestrisque laudibus meas deriuo. Vestræ enim laudes istæ sunt, qui Scholas istas, à maioribus institutas, publico sumptu liberaliter fouetis: non meæ, qui tantum gloriæ dumtaxat

capio,

capio, quantum alii à me fructus. Itaque meum potiùs sit exsequi docẽdo munus, ad quod promotus sum; quàm ornare felicitatem dicendo, quã potitus sum. Ciuis succedat, & rerum Mediolanensiũ peritus, qui piè ac facilè subeat hunc laborem. Et tamen conabor ipse, cum bona vtriusque venia; vt in comparationem, non dicam periti e specimen, sed pietatis diligentiam accipiat, si quis concurret. Ego enim, vt nec ciuis titulum, nec periti laudem iactem: audebo tamen, velut inter ciues adscitus, periti conatum; & velut inter peritos adscriptus, ciuis officium Reipubl. impendere; quæ publicè me & Laris iure velut ciuem, & ELOQVENTIÆ PROFESSIONE velut peritum adsciuit. Quid igitur? Patria & sanguine alienus sum? sed Professione, & Pietate vester. Vos aures animumque mihi, imò Scholis ipsis paullisper date: Magnum & mirum est, quod dicam, ad veterem Vrbis, RHETORVM, & SCHOLARVM vestrarum gloriam: vester est qui dicet, qui ad vestrum etiam nutum aut restringet dictionis seriem, aut extendet. Ordinem intra leges lineasque Historiæ habiturus, veritate & selectu distinguam. Vt qui prolixum aliquod iter facit, non in stabulis cunctis & villis commoratur, sed in locis aut religione sacris, aut situ amœnis, aut antiquitatis fama claris: ita ego in hac Dissertatione non vbique vocem impediens, sed rebus excellentioribus impendens, vagabor, & decerpam quidquid ad veram laudem componendam cum delectatione rarum aut eximium erit. Multa quidem curiosa inuen-

tio protrudit, quæ silentio contemnenda sunt; multa itē temporū obscuritas inuoluit, quę inprimis explicanda sunt: vt nō minùs supersit, quod dictu vile, quā desit, quod inuētu difficile sit. Seligenda autē digna auribus materia, quæ verborū pompa vestiatur. Vetustatē, & ipsam senectutē, quæ in homine venerabilis, in locis structurisq; sacra est, inprimis repræsento; vt, si cui in angustum compressa nunc dignitas videatur, retro ad memoriam maiorum cogitationes reflectat. minùs enim despiciet, quid RHETORES, & SCHOLÆ PALATINÆ esse desierint, si recordabitur, quid aliquando fuerint. Eloquentia, cum deuictâ Græcia, liberum populum quæreret, Romam, & mox Mediolanum, quasi ad socios fratresque Populi Romani commigrauit: ita vtrobique commorata; vt cùm priscos suos RHETORES, & SCHOLAS Roma iactet: Mediolanum RHETORES ac SCHOLÆ ipsę. Romæ namque, Suetonio scribente, Senatusconsulto, C. Fannio Strabone, M. Valerio Messalla Coss. & posteà iterùm Censorio Edicto Scholæ Rhetorum sublatæ sunt. Scilicet Martiales illi manu esse strenui quàm lingua, &, cum Sallustio dicam, *optimus quisque facere, quàm dicere; sua ab aliis benefacta laudari, quàm ipse aliorū narrare malebat.* Et tunc tamen Mediolani adolescentes declamationibus continebantur, & in toga Eloquentiæ quædam quasi arma quatiebant. Resumpsit verò mox Roma artem quam spreuerat: produxit Mediolanum quam adsumpserat: & colonias quoque studiorum circumquaque duxit. *Nam*, vt idem Suetonius auctor

auctor est, *in Prouincias quoque Grammatica penetrauerat, ac nonnulli de notissimis Doctoribus peregrè docuerunt, maximè in Galliâ Togatâ: inter quos* OCTAVIVS TEVCER, & SISCENNIVS IACCHVS, & OPPIVS CARES. Quod autem de Grammatica dicit, ad Rhetoricam quoque referendum. *Veteres enim Grammatici*, vt ibidem Suetonius, *& Rhetoricam docebant, ac multorum de vtraque arte commentarii feruntur. secundum quam consuetudinem posteriores quoq; existimo, quamquam iam discretis professionibus, nihilominus vel retinuisse, vel instituisse & ipsos quædam genera Institutionum, ad Eloquentiam præparandam: vt, Problemata, Periphrases, Elocutiones, Ethologias, atque alia hoc genus; ne scilicet sicci omninò atq; aridi pueri Rhetoribus traderentur.* Sed cur non prælucent Historiæ faces, & tot illustrium virorum nomina distinguunt, qui Mediolani docuerunt? Diuisum orbis imperium gremio vestro accepisse gloriamini: quin potiùs iã ante Eloquẽtię ac litterarũ studio meruisse, vt acciperetis. In contemptum, aut neglectũ denuò amœnior ille animi cultus Romæ lapsus; vt Mediolanum transmigraret: secuta imperii maiestas; quasi alibi consistere non posset, nisi vbi Litterę ipsæ fundamentũ substrauissent. Luxus, Tyrannis, & mille senescẽtis Vrbis morbi pepulerãt bonas omnes artes, sine quibus firma aut robusta Imperii dignitas esse non poterat. Ergò Mediolani, velut in nouo regno se Virtus explicuit, Litteræ increuerunt, Eloquentia effloruit: Professores admissi aut conducti, qui Suadæ semina priuatim, & mox publicè sparge-

rent. Sed facile fuit procliuem naturā arte ſubigere, & innatas radices cultu ad fructum prouocare. Fœcunda enim, & quod Auſonius in laudem magnæ huius vrbis ſcripſit, FACVNDA VIRORVM INGENIA vim & laudem Eloquentiæ propagarunt. Plinius exemplum ad municipes ſuos transferre conatus eſt, &, Scholæ huius gloriam inſigni & magnanima liberalitate in vrbe Patria adfectans, luculenter celebrauit. Ego pluſcula verba recenſere penſum habeo; vt, quod ille iuuentuti ſuæ factum cupit, ego veſtræ gratuler. Libr. IV. Epiſt. XIII. Tacito ſcribens: *Proximè cùm in Patriâ meâ fui, venit ad me ſalutandum municipis mei filius prætextatus. Huic ego, Studes? inquam. Reſpondit, Etiam. Vbi? Mediolani. Cur non hîc? Et pater eius (erat enim vnà, atque etiam ipſe adduxerat puerum) Quia nullos hic Præceptores habemus. Quare nullos? Nam vehementer intererat veſtrâ qui patres eſtis (& opportunè complures patres audiebant) liberos veſtros hîc potiſſimum diſcere. Vbi enim aut iucundiùs morarentur quàm in Patriâ; aut pudiciùs continerentur, quàm ſub oculis parentum; aut minore ſumptu quàm domi? Quantulum eſt ergò collatâ pecuniâ conducere Præceptores? quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea quæ peregrè emuntur (omnia autem peregrè emuntur) impenditis, adiicere mercedibus? Atque adeò ego qui nondum liberos habeo, paratus ſum pro Rep. noſtrâ, quaſi pro filiâ, vel parente tertiam partem eius quam conferre vobis placebit, dare.* Tot bona olim Mediolanenſes habuerunt, & nunc habent: benè, ſi habere ſe intelligant: benè, ſi fruātur.

tur. At nunc iuuentus otio vitiisque demersa, ne paratas quidem artes hauet cognoscere. Nos stipendium accipimus, vt doceamus: & rogare imò ambire plerosque debemus, vt audiamur. Quid diceres, aut scriberes Plini, si hæc tropica videres? Vos prohibete patres, & cogitate quanti momenti sit in vrbe Patriâ filios ad Rempub. præparari: vos prohibete filii, & exemplũ posteris tradite, quod accepistis. Sed quid ita præceps ab aureo illo litterarum seculo ad hanc nostram infelicitatem prolabor? Gressum refero, & priscos illos RHETORES inquiro: quorum etsi fugitiua quædam memoria est; conabor tamen ex obliuionis latebris eruere aliquam seriẽ, & æui nostri socordiam castigare. Burdigalenses suos Professores, Ausonius celebrauit; Romanos illos, Lucium Plotium, Lucium Otacilium, Epidium, Sextum Clodium, CAIVM ALBVTIVM Nouariensem, Suetonius, siue alius auctor est. Ex his ALBVTIVM Mediolani quoque docuisse, aut certè caussas egisse, idem Suetonius testatur. *Et rursùs in cognitione cædis, Mediolani apud Lucium Pisonem Proconsulem defendens reum, cùm, cohibente lictore nimios laudantium voces, ita excanduisset* (Albutius) *vt & deplorato Italiæ statu, quasi iterùm in formam Prouinciæ redigeretur; Marcum insuper Brutum, cuius statua in conspectu erat, inuocaret legum ac Libertatis auctorem & vindicem, pænè pœnas luit.* Fuisse autẽ Mediolani statuam Bruti, & cum magnâ gloriâ vrbis fuisse Plutarchus in eius vitâ refert. *Fuit verò Mediolani in Galliâ Cisalpinâ* (Bruti) *statua ærea vultũ eius referens, & affabrè effecta.*

Hanc postmodùm, vt Cæsar cõspexit, præteriit. mox subsistens, Magistratus vocauit, palàm querens à ciuitate eorum fœdus pacis ruptum. quippe in quâ hostis seruaretur. Illi principiò negare, ac dubii quem significaret, sese mutuò intueri. Cæsar verò ad statuã conuersus, contractâ fronte; Numquid, ait, iste hic cõsistit hostis noster? ac tum ampliùs illi perculsi, obmutescere. Cæsar autem arridens, laudauit Gallos, quòd amicis essent etiam in rebus aduersis stabiles, iussitque statuam superstitem seruari. Nunc verò concedamus, & Albutium Romanis; si nobis illi AVRELIVM AVGVSTINVM. Concedunt: & gloriari vrbs vestra professorem potest, quem orbis Christianus doctorem. Quid illustrius relinquere Famę Mediolanensium potuit Antiquitas? quid vouere aut sperare posteritas? Felicem Romam GREGORIO, & HIERONYMO dicitis: vos Roma ipsa AMBROSIO, & AVGVSTINO. AVGVSTINVM autẽ, vt vobis orbis vniuersus: ita vos Scholis istis debetis, in quibus docuit; & è quibus in Ecclesiam venit. Sed *quomodò docuit: quâ ætate? quo stipendio?* Dicam, quantum potero, distinctè, & succinctè; vt sine verborum tœdio voluptatẽ meam, & simul gloriam vestrã pascam. Exulto enim ipse memoriâ tanti viri, quẽ oratione celebro, munere repræsento: vobis autem iucundissimũ esse debet, remotâ obliuionis nube, priscâ quadam litterarum luce resplẽdere. Erat olìm sollemne huic vrbi, nõ è proprio gremio, & sinu doctores, sed aliunde adsciscere; quasi maior quædam reuerentia atq; auctoritas externi. Etsi enim benigniùs ad docẽdi præmia popularis vocatur, & familiariùs ciuis

ciuem

ciuem docet; vtiliùs tamen ſecuriuſque ille qui ſeueriori iudicio conducitur, nec poteſt imperitiæ ſuæ tamquàm à Patria indulgentiam conciliare. Cùm etiam vago quodam errore ad abſentes diſcendi cupiditas feſtinet, & iuuentus libertatis quadam affectatione alienos lares, & Scholas Patriis præferat; prudenti quodam conſilio vtraque corrigitur; vt domi & in conſpectu parentum ac patriæ peregrinari, & alienis in terris inſtitui quiſque videatur, quia ab alieno. Maiori quidem ſumptu exteri, quàm proprii conducuntur; cùm Patriæ ciuis laborem debeat, quem impendit; exterus verò, non tamquam ad officium vocetur, ſed impendio ematur ad alienum opus :·publica tamen Iuuentutis vtilitas tanti eſſe debet, ne impendio retardetur. In hoc etiam gloria Reipub. verſatur, non ſuis tantùm ciuibus, ſed alienis quoque florere. Vrbem namque vt hortum laudamus, qui inter patria ſemina exoticam, & aliunde tranſportatam herbam alit. Id profectò iam olim prudenter ciuitas veſtra vſurpauit, nequis hodiè externum arietet; & maximam famam ab externis accepit. Vacabat ante mille ducentos, nouendecim annos, cùm magnus AMBROSIVS Eccleſiæ Mediolanenſi præeſſet, hoc munus: & quæſitum Profeſſorem ciuitas publicè mittit. Quò? Romam: & ad quem? num priuatum aliquem? at de Repub. agebatur. Ad Q. Aurelium Symmachum V. C. & Præfectum vrbis. qui diligentiâ ſuâ vſus, AVGVSTINVM, tum fortè Romæ docentem, dignum repperit, cui SCHOLÆ PALATINÆ Medi-

olanensium committerentur. Venit Mediolanum AVGVSTINVS, docuit, placuit. Deus bone! ipsæ mihi Scholæ ad felicitatis suæ memoriam subsilire gaudio videntur: vrbs ipsa gestire ad sanctissimi viri nomen. Sed licet pronus in lætis assensus: nolo tamen tam insignis & luculenta gloria, sub dubiâ fide vacillet. Docuisse AVGVSTINVM Mediolani iam auiditatem encomii mei non explet nisi ostendam docuisse: &, si docuisse gloriosum, gloriosius, si fatetur aut gloriatur ipse qui docuit. Tu magne Antistes, qui Rhetoricum puluerem olim ab ineunte pænè ætate docendo collegisti: qui ex hac ipsâ cathedrâ in Rempub. Christianam adoptatus es, patere illustrem tuo nomine cathedram esse, quæ nunc Reipubl. Christianæ seruit. Lib. v. Confessionum scriptum reliquit: *Itaque posteaquàm missum est à Mediolano Romam ad Præfectum vrbis, vt illi ciuitati* RHETORICÆ MAGISTER *prouideretur, impertitâ etiam euectione publicâ; ego ipse ambiui, per eos ipsos Manichæis vanitatibus ebrios (quibus vt carerem ibam, sed vtrique nesciebamus:) vt dictione propositâ me probatũ, Præfectus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad* AMBROSIVM *Episcopum in optimis notum orbi terræ, cuius tũc eloquia strenuè ministrabant adipem frumenti tui, & lætitiam olei, & sobriam vini ebrietatem populo tuo.* Perge, perge AVGVSTINE, & magnum Antistitem teque ipsum ampliùs depinge. *Ad eum autem ducebar abs te nesciens, vt per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me paternè ille homo Dei, & peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi primò qui-*

quidem non tamquam doctorem veri, quod in Ecclesiâ tuâ prorsus desperabam, sed tamquam hominem benignum in me. Et studiosè audiebam disputantem in populo, non intentione quâ debui, sed quasi explorans eius facundiam, vtrum conueniret famæ suæ, an maior minorve proflueret, quàm prædicabatur; & verbis eius suspendebar intentus. Rerum autem incuriosus & contemptor adstabam, & delectabar suauitate sermonis, quamquàm eruditionis, minùs tamen hilarescentis atque mulcentis quàm Fausti erat, quòd attinet ad dicendi modum. Ceterùm rerum ipsarum nulla comparatio. Totus quidem erat in Eloquentiæ studio Augustinus, & in ipso meo mediæ ætatis flore, ad Ambrosii nectar famæ suæ desiderium irritans. Ab Ecclesiâ, & viri sanctissimi ore verborum mellitos globulos ad Scholas transferebat, ipse mox à sanctissimo viro ad ecclesiam transferendus. Cùm verò docendi munus auspicaretur, annum agebat plus-minùs trigesimum, qui erat Christi, nisi me Chronologiæ fallunt, CCC. LXXXIV. & sub ipsa initia mox PANEGYRICVM Bautoni Consuli dixit: quod ipsius iterùm verbis breuiter signabo, non eloquar, calculatorum more, *qui ingentes summas æris breuioribus exprimunt.* Lib. III. Contra literas Petiliani: *Quam multa alia falsa consequenter non vtcumque dicere, sed etiam inscribere mirâ temeritate non timuit, cùm ego Mediolanum ante Bautonem Consulem venerim, eiq; Consuli Kalendis Ianuariis laudem in tanto conuentu conspectuq; hominum, pro meâ tunc* RHETORICA PROFESSIONE *recitauerim.* Similiter lib. VI. Confessionum: *Quàm ego miser e-*

ram, & quomodò egisti (Deum adloquitur) *vt sentirem miseriam meam die illo, quo cùm pararem recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, & mentienti faueretur ab scientibus.* De eodem enim Panegyrico intelligendus hic locus, tametsi istìc se Consulis laudes, hìc Imperatoris explicuisse scribit. Cùm enim Arcadius Imperator, & Flauius Bauto Consules hoc anno fuerint, ille in Oriente, hic in Occidente; vtrumque laudauit: magis tamen Imperatorem, quàm Consulem; quòd laudandi siue adulandi copiã absentia & dignitas Arcadii discreuerint; vt restrictior esset veriorque apud præsentem, & priuatum. Lubet nunc in re Antiquitatis curiosum ampliùs esse, & de Stipendio quoque dicere, an diuinare? ita, ita: sed grande & luculentum fuisse. Me quidem splendor, & liberalitas Mediolanensium non sinit angustè sentire, qui cùm ipse honesto sumptu doceam, non videor tamen priscam illam literarum felicitatem experiri. Vespasianus, vt Suetonius refert, *Ingenia & artes, vel maximè fouit: primus è Fisco Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit*, nostrâ monetâ, *bis mille quingentos Philippæos* siue *Ducatos*. Quæ tamen liberalitas si Romanos propriè ornat, vestram accipite. Diocletianus, & Maximianus (hos enim vestros appellare potestis) Eumenium Rhetorem *salarium* (verba eius sunt in Oratione pro Scholis instaurandis) *in sexcentis millibus nummũ accipere iusserunt*, id est, *Quindecim millia Philippæorum*. Ergò nunc Augustodunum, vbi ille docuit, cum Mediolano; Eumenium cum Augustino; Diocletia-

cletianum, & Maximianum cum Theodosio, aut Arcadio comparate; nec difficile erit ad magnam aliquam summam Augustini professionem vocare. cuius illa quidem in errore æstuantis ætatis cupiditas fuit, vt honorarium ingens inhiauerit: illa Eloquentia & doctrina, vt obtinuerit. Cupiditatem verò sæpiùs seueriusque vir sanctus fatetur, & castigat, in primis lib. VI. Confessionum, vbi vitam munusque suum apud Mediolanenses persequitur: *Inhiabã honoribus, lucris, coniugio; & tu irridebas. patiebar in meis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu.* Paullò pòst: non enim possum silentio præterire elegantissimum typum magnarum, & vanarum cogitationum, quibus tumida quædam eruditio solet ebullire: *Transiens per vicum quendam Mediolanensem, animaduerti pauperem mendicum, iam credo saturum, iocantem atque ridentem; & ingemui, & locutus sum cum amicis meis qui mecum erant, multos dolores insaniarum nostrarum, quia omnibus talibus conatibus nostris, qualibus tunc laborabam, sub stimulis* CVPIDITATVM *trahens infelicitatis meæ sarcinam, & trahendo exaggerans, nihil vellemus aliud, nisi ad securam lætitiam peruenire, quò nos mendicus ille iam præcessisset, numquã fortassis illuc venturos. Quod enim iam ille pauculis, & emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tã ærumnosis anfractibus, & circuitibus ambiebam, ad lætitiã scilicet temporalis felicitatis. Non enim verũ gaudium habebat: sed & ego illis ambitionibus multò falsius quærebam. Et certè ille lætabatur, ego anxius*

eram;ſecurus ille,ego trepidus. & ſi quiſquam percunctaretur me, Utrum mallem exultare, an metuere;reſponderem, exultare. Rurſus ſi interrogaret, Utrum me talem mallem, qualis ille, an qualis ego tunc eſſem; meipſum curis timoribuſque confectum eligerem; ſed peruerſitate, non veritate. Non enim eò me præponere illi debebam, quò doctior eram;quoniam non inde gaudebam;ſed placere inde quærebam hominibus; non vt eos docerem, ſed tantùm vt placerem. Propterea & tu baculo diſciplinæ tuæ confringebas oſſa mea. Recedant ergò ab animâ meâ,qui dicunt ei, Intereſt vnde quis gaudeat. Gaudebat mendicus ille vinolentiâ,tu gaudere cupiebas gloriâ. quâ gloriâ domine? quæ non eſt in te. Nam ſicut illud verum gaudium non erat: ita nec illa vera gloria. & ampliùs vertebat mentem meam. Et ille ipsâ nocte digeſturus erat ebrietatem ſuam;ego autem cum mea dormieram, & ſurrexeram, & dormiturus, & ſurrecturus eram inde quot diebus? Hæc cupiditas æſtuantis adhuc animi;imò hæc facundia cupiditatem deteſtantis: vt tantum quidem benè dicendo meruiſſe, quantũ malè cupiendo adfectaſſe videatur. Docuit igitur AVGVSTINVS in hac vrbe, & in hac Scholâ; atq; magno docuit:an etiã ſcripſit? omninò. Perfectus enim abſolutuſq; Profeſſor eſſe non poteſt, niſi περιδέξιος, vt ita dicam, ſit, & vocẽ ſtili diligentiâ ſubſequatur. Iuuentus ipſa ſtilo ſibi viam expedire ad Eloquentiam debet, quam orẽ exerceat;ſcribere, vt rectè dicat. Quomodò autem ad ſcribendum excitabit Profeſſor, niſi & ipſe ſcribat? Non audiri ſolũ, ſed legi quoque debet, vt continuò doceat. Abſentes & poſteri in

par-

partem fructus veniunt, si expensa tabulis doctrina duret. Breuis est vocis cursus, & ambitus: stilũ nec orbis nec vnius seculi spatia terminant: At enim, inquies,

——— Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.
Munus & officium nil scribens ipse docebo.

Id verò ignauum, aut inglorium est: pulchrius, præstare ipsum te quæ doceas. Ego certè in derelictâ & sterili Scholâ scribendo consequor, vt florentissimum semper auditorium habeam. Pauci & ipsi rogati sunt, qui vocem meam excipiunt: sed caue ad tam exiguũ numerum professionis fructum restringas. Pleraq; Italia, Gallia, Germania Puteanum audit, quia legit. quam ego laudem non mihi, sed Scholæ vestræ tribuo, cui potissimùm scribo. Agnoscite hunc animũ, imò hoc beneficiũ (cur non sic æstimem?) velut liberale corollariũ vocis. Beneficium enim est, quod necessitati non obnoxium prodest: nisi tamen officium putetis, quidquid benè publicè fit. Professor quidẽ docendo pręstat, quod Scholæ, & Iuuentuti debet: scribendo otiũ ipsum, & priuatam libertatem in publicũ confert. Sic Prisci illi Rhetores; sic vester AVGVSTINVS, cuius & ipse exemplum cœpi imitari. Ex illis enim, quæ hoc biennio in lucẽ produxi, PANEGYRICVS circumfertur, GENIALIVM SERMONVM liber legitur, MVSATHENA canitur, ITER NONIANVM teritur, EPISTOLARVM PROMVLSIS libatur, ELOQVENTIÆ AVSPICIA celebran-

tur, De Distinctionibvs Syntagma laudatur. Avgvstinvs autem quid stilo Mediolani Professor emolitus est? Ex ipso volo audiatis, ne quis ambitiosum iudicet propria scripta recensere. Lib. 1. Retractationum: *Per idem tempus, quo Mediolani fui, Baptismum percepturus, etiam Disciplinarum libros conatus sum scribere, interrogans eos qui mecum erant, atque ab huiusmodi studiis non abhorrebant: per corporalia cupiens ad incorporalia, quibusdam quasi passibus certis, vel peruenire, vel duci. Sed earum solùm* De Grammatica *librum absoluere potui, quem postea de armario nostro perdidi: &* De Mvsica *sex volumina, quantum attinet ad eam partem, quæ Rhythmus vocatur; sed eosdem sex libros iam baptizatus, iamque ex Italiâ regressus, in Africâ scripsi. Incohaueram quippe tantummodò istam apud Mediolanum disciplinam. De aliis verò quinque Disciplinis illic similiter incohatis,* De Dialectica, De Rhetorica, De Geometria, De Arithmetica, De Philosophia, *sola principia remanserunt: quæ tamen etiam ipsa perdidimus; sed haberi ab aliquibus existimo.* O indefessum ingenium! ò lucubrationes dignæ tali ingenio! Præstitit verò ista *in litteris Deo iam* (vt ipse loquitur) *seruientibus; sed adhuc in Superbiæ Scholâ, tamquã in pausatione, seruientibus.* Quid si etiam plura? Quid si Contra Academicos Libros Tres? Quid si De Beata Vita Librvm *singularẽ*? Quid si De Ordine Libros Dvos, *accuratũ opus?* Quid si Soliloqviorvm Libros Dvos? Quid si De Immortalitate Animæ Librvm *singularem*? Enimverò dicatis, non ad

do-

docendum, sed scribendum conductum. & tamen scripsit, sicuti in libris Retractationū ipse testatur. Felicem vrbem, quàm tot egregia volumina natalem habent! Felicem Scholam, cui acceptam referre hanc famam suam vrbs debet! Quid autem si hęc omnia intra biennii spatium, quo Mediolani fuit? Scripta enim antequàm Baptismatis Sacramento initiaretur: initiatus autem anno secundo postquàm Mediolanum venit, cùm intereà Scholam renunciasset. Cur autem renunciauit? quia difficultas spirandi, continuo per æstatem vltimam studio contracta, vocis officium impediebat: quia Deus ipse AVGVSTINVM deposcebat. Rem producam è lib. IX. Confessionum. *Et placuit tibi* (Deus) *in conspectu tuo, non tumultuosè abripere, sed leniter subtrahere ministerium linguæ meæ Nundinis Loquacitatis; ne vlteriùs pueri meditantes, non legem tuam, non pacem tuam, sed insanias mendaces, & bella forensia, mercarentur ex ore meo arma furori suo. Et opportunè iam paucissimi dies supererant ad vindemiales ferias; & statui tollere illos, vt sollemniter abscederem, & redemptus à te iam non redirem venalis.* Paullò pòst de morbo apertiùs: *Quid etiam, quòd ipsâ æstate litterario labore nimię pulmo meus cedere cœperat, & difficulter trahere suspiria, doloribusq́; pectoris testari se saucium, vocemque clariorem productioremúe recusare, primò perturbauerat me; quia Magisterii illius sarcinam pænè iam necessitate deponere cogebar; aut si curari, & conualescere potuissem, certè intermittere.* Ampliùs ex eodem libro: *Renunciaui, perâctis Vindemialibus,*

vt Scholasticis suis Mediolanenses Venditorem verborum alium quærerent; quod & tibi ego seruire delegissem; & illi Professioni præ difficultate spirandi ac dolore pectoris non sufficerem. Denique, vt sermonem transferam: *Et venit dies, in quâ etiam actu soluerer à* PROFESSIONE RHETORICA, *vnde iam cogitatu solutus eram. Et factum est: & eruisti linguam meam, vnde iam erueras cor meum.* Fecit igitur AVGVSTINVS Mediolani, quod paullò antè Victorinus Rhetor Romę, *ille,* vt Augustinus ipse loquitur lib. VIII. Confessionum. *doctissimus senex, & omnium liberalium doctrinarum peritissimus; quiq; Philosophorum tam multa legerat, & diiudicauerat, & dilucidauerat; doctor tot nobilium Senatorum; qui etiam ob insigne Magisterii, quod ciues huius mundi eximium putant, statuam Romano foro meruerat, & acceperat; vsque ad illam ætatem venerator idolorum, sacrorumque sacrilegorum particeps.* Is autem quid fecit? Scholas Romanos deseruit; & exemplum Augustinus accepit, quod Mediolani sequeretur. Verba eius sunt, lib. VIII. *Sed vbi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino ista narrauit, exarsi ad imitandum. ad hoc enim & ille dixerat.* Quid igitur? ego Professionem Augustini nomine insignire audebo, quam Augustinus ipse tãquàm vanam reliquit, tamquàm noxiam perstrinxit? vocat ecce *Superbiæ Scholam, Nundinas Loquacitatis, Insanias mendaces.* & alibi, *Mendacii cathedram:* seipsum, *Verborum venditorem.* Ita est: sed cautè dicendi ille feruor explicandus est; ne tam vetustam memoriam adurat. Nondum Christiana modestia Gentiles Scholas penetrauerat:

uerat: nondum loquacem fastum Veritatis professio represserat: debellata Gentilitas etiam in Scholis triumphabat. Recens & valida etiam apud impios lex Iuliani erat, quâ à Professione litterarum Christiani arcebantur. Augustinus ipse signato loco, de Victorino: *Posteaquàm vero & illud addidit* (Simplicianus) *quod Imperatoris Iuliani temporibus lege datâ prohibiti sunt Christiani docere litteraturam, & Oratoria* (*quam legem ille amplexus Loquacem Scholam deserere maluit, quam verbum tuum, quo linguas infantium facis disertas*) *non mihi fortior, quam felicior visus est; quia inuenit occasionem vacãdi tibi.* Ammianus Marcellinus lib. XXI. *Illud autem inclemens, obruendum perenni silentio, quòd arcebat docere Magistros Rhetoricos, & Grammaticos, ritus Christiani cultores.* Statum igitur, & conditionem Scholarum Augustinus, non ipsas detestatus est: qui cùm Religionem non inueniret in Scholis, Scholas deseruit, vt Religionem potiùs quàm Eloquentiã profiteretur. Erat Eloquẽtia in Scholis, Religio nõ erat: & cũ Augustino Eloquẽtia ipsa Scholas deseruit vt Christiana libertas intraret. Intrauit: & fœda stigmata venustis encomiis dispunxit. *Superbiæ Schola* erat? Modestię domiciliũ factũ: *Nundinæ loquacitatis?* tranquillæ Suadæ sacrarium exstitit: *Insaniæ mendaces?* Bonæ mentis regula euasit: *Mendacii cathedra?* Veritatis quies & magisterium successit. *Verborum venditor* ipse Professor? Christianæ facundiæ promus esse cœpit. Tales profectò reliqui aliquo pòst interuallo, qui secuti: & iam vbique terrarum Gentilitate pro-

strata BONVICINVS RIVIVS, per noctem illam temporum in Scholis nostris clarus, in Republ. potens: qui, si lapidi fides, Xenodochium in oppido Legnano hodiè pietatis fama superstes exstruxit; qui in hac ipsa vrbe piissimum, & toto orbe venerabilem ritum, quo ad æris signum humanæ salutis initium religiosâ memoriâ cottidiè recolimus, instituit; denique qui Italicam linguã rudem etiamtunc, &, vt ita dicam, infantem, stilo & eloquio colere aggressus est, cùm ne in Scholis quidem Barbaries Latinitati pepercisset. Erant quidem illa tempora, velut in nubilo posita, sine vlla pænè cura aut cogitatione Posteritatis: obducta memoria insignium Professorum, donec tãdem illa Barbarorum vltima tempestas detonuit, & res Mediolanensium in serenitatem datæ. Tum noua vndique lumina exorta priscam ingeniorum felicitatem reduxerunt. Docuit vir disertissimus FRANCISCVS PHILELPHVS, qui à Io. Mariâ Galeatio annum agens LXXIV. Mediolanum vocatus, postquam Romanâ, & Bononiensi Professione inclaruisset, non minùs senectute venerabilem hanc Scholam, quam Eloquentiâ senectutem effecit. Quasi vrbem vestram reueritus, experiri alibi conatum suum voluit, vt matura, & adulta huc studia inferret. Senectus autẽ, cum vbiq; venerabilis, tũ in pulpito religiosa & sacra est, pænè discentib. adorata. Vt enim imperium potentioris sustinemus, æqualis fastidimus: ita præcepta iunioris, aut senis. Quid igitur? tantùm decrepitos habebis nostra Schola, & vicinum cathedræ capulum faciemus? absit. Floreat interdum cum adole-

adoleſcente, vigeat cum viro; quia & hi ſenes eſſe poſſunt. Studiorum Præſidi Apollini non canos, ſed lanuginem Antiquitas conſecrauit; & meâ quidem cauſſa plurima eorum exempla cõferrem qui præmaturè docuerunt, niſi ætatem impetraſſem. Poſt PHILELPHVM gloria & fructus ſe Scholæ amplius diffudit: ac Profeſſores Famâ clariſſimi exſtitêre, etſi in caligine aliquâ etiã æui. Inter hos, Iouio referente, ANTONIVS PANORMITANVS, à Philippo Vicecomite ſalario octingentorum Aureorum conductus. PETRVS CANDIDVS DECEMBER, qui ſub Franciſco Sfortiâ I. ad annum vſq; LXXX. docuit; non modò liberalitatem Principis viuus, ſed pietatem etiam, cùm vixiſſet, expertus: quippe arca marmorea (in veſtibulo templi D. Ambroſii exſtat) honoratus. Etiam DEMETRIVS CHALCONDYLES, è Græcia profugus, quem in Vrbem, in Scholam, imò in Amicitiam quoque Ludouicus Sfortia excepit. atque huius ſepulchrum in æde Chriſti Paſſi. Fuêre iiſdem temporibus, PHILIPPVS BEROALDVS, vt in eius vita teſtatur Pinus Toloſanus. GEORGIVS MERVLA, qui in templo S. Euſtorgii conditus. LVD. CÆLIVS RHODIGINVS, qui, vt in Antiquis ſuis teſtatur, à Rege Franciſco adſcitus, publicè Liuium Iuuentuti Mediolanenſi explicuit. Mox IANVS PARRHASIVS, Chalcondylis gener: atque hunc ob inſignem facundiam Magnus Iacobus Triuultius Prouinciæ Gubernator audire cottidie in his ipſis Scholis ſolebat. BAPTISTA PIVS Bononienſis, qui à Paullo III. Farneſio Romam vocatus, obiit. Iungunt ſe huic numero &

ordini ſerie quadam STEPHANVS NIGER, M. ANTONIVS MAIORAGIVS, OTHO LVPANVS, AONIVS PALEARIVS, FRANCISCVS CICEREIVS,

Multi prætereà quos fama obſcura recondit.

Ego tandem ſuffectus ſum, vt tot eruditos viros ſtudio, & diligentiâ referrem. Adnitar verò, vt referam, ſi iuuentus faueat; ac viam ad Eloquẽtiam ituris faciam, quæ à Virtute non abducat. Quorſum enim linguam inſtruamus, ſi animus incultus? Non eloquentes tantùm, ſed bonos Reſpub. ciues à Profeſſore expectat: nec ille verè eloquentes exhibere poterit, niſi ſi bonos. *Eloquentia* namq; vt Statius Cæcilius veſter (veſter inquam, & ſic propriè vobis ſcripſit) *Innocentia eſt.* Scribere hoc niſi Mediolanenſis non poterat: & ſic nulli rectiùs quàm Iuuentuti veſtræ præſcribi. Ergò retinete nomen, & laudem priſcam Innocentiæ; vt Eloquentiæ inueniatis. *Neque enim* (vt Quinctiliani verbis ſententiæ meæ pondus appendam) *eſſe Oratorem, niſi bonũ virum iudico: & fieri etiam ſi poſſit, nolo* SCHOLAS antiquitùs fuiſſe, ſatis oſtendi: ſed PALATINAS fuiſſe, reliquus labor: iucundus faciliſque futurus, ſi benignam deinceps fauoris veſtri auram experiar. A' Romano Palatio, PALATINVM dici, clarum eſt. Non autem continuit ſe Romæ Palatii maieſtas, poſtquàm Cæſarum eſſe domicilium cœpit; ſed per Prouincias ſparſa; vt toto terrarum orbe Imperator habitaret. SCHOLÆ verò PALATINÆ quaſi Palatio digniores, in alteram dumtaxat Romam, poſtquàm Romæ eſ-

ſe

ſe cœperunt, potuerunt traduci. Tantum inter Imperatorem & Eloquentiam intererat. Ille humilia paſſim tecta, & mœnia ſubibat: hæ non inueniebant dignitatem ſuam, ſi aliò, quàm in vrbem veſtram commigrarent. Fuiſſe autẽ Romæ Scholam ſiue Auditorium PALATINVM, in quo Carmina, Hiſtoriæ, ſed & Orationes, & Dialogi publicè recitabantur, inficias Romanitatis peritus nõ ibit. PALATINVM inquam; quia in templo Apollinis Palatini. Nam cùm ſe hac recitatione abſtinere Horatius ſcriberet,

——Hæc ego ludo
Quæ nec in æde ſonent reſonantia, iudice Tarpâ;

& alibi item *ædem* nominaret,

—Vacuam Romanis vatibus ædem;

Scholia vetera *ædem* vtrobiq; *Apollinis Palatini* interpretantur. Pliniũ huc voco de Claudio Imperatore, lib. I. Epiſt. XIII. *Memoriâ parentum Claudium Cæſarem ferunt, cùm in* PALATIO *ſpatiaretur, audiſſetq; clamorem, cauſſam requiſiſſe; cumq; dictum eſſet* RECITARE *Nonianum, ſubitum recitanti inopinatumq; veniſſe.* Ecce Palatiũ, ecce Recitationem. Si autem vicinus iſte clamor, & ſi in æde; vbi, niſi in Apollinis Palatini? Dicerem & de Scholâ Palatinâ Ciceronis, niſi priuata ea fuiſſet: quam quidem domi ſe habuiſſe ſæpiùs ſcribit; & lib. II. Epiſt. IV. ad Atticum, *Palæſtram Palatinam* nominat: *His temporibus, tam dubiâ vitâ optimi cuiuſq;, magni æſtimo vnius æſtatis fructum* PALÆSTRÆ PALATINÆ. ſcilicet quem in

domo suâ Palatina docendo, & disserendo capiebat. Lib. VII. Ad familiares, Epist. XXXIII. Volumnio scribẽs: *Quòd Declamationib. nostris cares, damni nihil facis. Quod Hirtio inuideres, nisi eum amares, non erat caussa inuidendi; nisi fortè ipsius Eloquentiæ magis, quàm quòd me audiret, inuideres.* Ibidem: *Nam & Cassius tuus, & Dolabella noster, vel potiùs vterque noster, studiis iisdem tenentur: & meis æquissimis vtuntur auribus.* Iterùm lib. IX. Epist. XVI. *Hirtium ego, & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros. Puto enim te audisse (si fortè ad vos omnia perferũtur) illos apud me declamitare me apud eos cœnitare.* Quid Romæ? quid in priuato adhuc moror? Mediolanenses nostras, & publicas PALATINAS per Antiquitatem inuestigo: an iam distinguo? Nominare enim Symmachus videtur, qui Mediolanum, ad Mineruium scribens, lib. IV. Epist. XXXV. Amicitiæ ætatem ac fidem ab Eloquẽtiâ Palatinâ ducit: *Præterea cùm* PALATINÆ ELOQVENTIÆ *militares, porrexi amicitiæ tuæ dexteram.* Si verò Palatina ista Eloquentia Mediolani, vbi, nisi in Schola Palatina? vnde etiam firmior robustiorq; amoris nodus, quàm è communibus studiis, & Scholis? *Neque enim*, vt verissimè Quinctilianus, *est sanctius, sacris iisdem, quã studiis imitari.* Mediolani igitur olim SCHOLÆ PALATINÆ. Ego tamen, videte confidentiam meam, quasi aliunde dictionis votũ impleturus, Symmachi loco non vtor: quẽ ad aulæ tribunalia, & aduocationes militares, quibus Palatium perstrepebat, sciam posse referri. Augustinus noster pro hac sentẽtia scripsisse videtur lib.

VIII.

VIII. Confeſſionum. *Venit & ad me, & Alipium Potitianus quidam ciuis noſter, inquantùm Afer, præclare in Palatio militans.* In Palatio autē Mediolanenſi. Et Ammianus lib. xxx. de hocidē genus Aduocatis: *Qui tenuiorum negotia Militaris rei Rectoribus, vel intra Palatium validis, venditantes, aut opes, aut honores quæſiuêre præclaros.* Milium autem Scholæ illę Palatinæ fuerunt, ad quos multarum redire partes ſolebant. Ita Hiſtoriæ paſſim, & libri Iuris docent, Scholasq; Palatinas nominant. Idem Ammianus lib. XIV. De Thalaſſio: *Scribens ad Cæſarem blandiùs, adiumenta illi paullatim ſubtraxit, ſollicitari ſe ſimulans, ne quod militare otium, ferè tumultuoſum, in eius perniciem conſpiraret; ſoliſq;* SCHOLIS *iuſſit eſſe contētum* PALATINIS. Paullo pòſt: *Montius tunc Quæſtor, aſper quidem, ſed ad lenitatem propenſior, conſulens in cōmune, Aduocatos* PALATINARVM *primus* SCHOLARVM *allocutus eſt molliùs.* In Codice verò Iuſtinianæo quoties, & quot modis SCHOLÆ PALATINÆ repetuntur? Cui otium, & curioſitas, per ſparſas, & confuſas illas leges erret. Ego hoc addo, totum illum aulicum ſiue Palatinum gregem in Scholas diſtributum, varios honoris titulos prætuliſſe. Vt tamen & noſtræ huic Militiæ litterariæ ius auguſti nominis Palatium concedat, Antiquitatem flagitabo. Romani, poſt varia bella & diſcrimina, Italia potiti, & in quædam quaſi ſtudia pacis dati, cum in vrbe Patria ornanda ambitionem fatigaſſent, Mediolanum conuerſi ſunt; vt in populum Romano nomine dignum, Imperii opes, & opera effunderent. Sic igitur alius nouo murorum

ambitu, & velut complexu venustã, & amatam vrbem strinxit. Alius templorum maiestate Deos ipsos è cœlorum erroribus euocauit. Alius & resides aquas, & nouos amnes velut æstuantis vrbis visceribus infudit. Alii Circum, Theatrum, Curiam, Capitolium; quorum nunc reliquias corradimus, &, vno verbo, Romam ipsam Mediolani struxerunt. Nerua posteà Imperium quoque communicans, Palatiũ Augustale condidit: aliud Traianus; aliud Maximianus, pariter enitentes, vt structuræ & habitationis quodam iure in originem SCHOLARVM PALATINARVM laudarentur. Vt Scholarum nomen duraret, plura Palatia condita: & durauit; vt quisque Palatii memoriam Scholarum confinio deberet. Vbi essetis superbi conatus, nisi hæ Scholæ nostræ essent? vixistis: & tamen viuitis, quia illæ viuunt. Tanti refert domicilium sibi Princeps, an Musis exstruat. Maximianus verò, vt vniuersam hanc gloriam ad se traheret, & Herculeus dici voluit, quasi cũ Hercule ipso (qui Genius vrbis olim habitus) tutelam Mediolanensium gerens; & Herculis fanum, cuius sedecim illæ striatæ, & ingentes è marmore columnæ exstant, Musarũ sacrario iunxit. Ille qui consortem Imperii Diocletianum ferebat, ab origine Scholarum Neruam, ac Traianum remouit: & in hoc fortè bonus laudatusq; Imperator; quasi gloriosius, solum in Litteris, quàm in mperio Inominari. Erat iam Romæ templum Herculis Musarũ, quod in Circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecuniâ Censoriâ fecerat: Mediolani Imperator ipse studiis tutelarẽ concilians, structuræ miraculo Herculem Musa-

Muſagetā coluit; vt Muſarũ quies hic quoq; defenſione Herculis, & Herculis virtus voce Muſarum æterna eſſet: vos autem, non ſolùm benè dicendi diſciplinam, Muſarum cultu; ſed benè faciendi, Herculis ſubſidio acciperetis. Hercules tamen in hac vrbe Romana etiam fata expertus; & inter rudera ſepultꝰ, nomen pænè ipſum memoriamq; exſpirauit. Sic Muſæ, ſine duce per ruinas vrbis errantes, in humiles tandē parietes auguſtũ Palatii nomen intulerunt. Sed cur non te video, ò priſca vrbs, & vultum priſcæ Scholæ? Conuulſa, & pęnè eiecta ſedibus tuis iaces; quid niſi funus antiquæ maieſtatis repræſentans? Vrbem tamen per vmbram, & nebulam luſtrare in Elogio Auſoniano auſim; vt Scholam inueniam.

Et MEDIOLANI MIRA OMNIA, *copia rerum;*
Innumeræ cultæq; domus, FACVNDA *virorum*
INGENIA, *antiqui mores: tum duplice muro*
Amplificata loci ſpecies, populiq; voluptas
Circus, & incluſi moles cuneata Theatri:
Templa, PALATINÆQVE ARCES, *opulensque moneta:*
Et regio HERCVLEI *celebris ſub honore lauacri.*
Cunctaq; marmoreis ornata periſtyla ſignis:
Omnia quæ magnis operũ velut æmula formis;
Mœniaq; in valli formam circumdata labro
Excellunt: nec iuncta premit Vicinia ROMÆ.

Ecce MIRA OMNIA: ſed inprimis ARCES PALATINÆ. illæ inquā Maximiani, quæ diuino etiam cultu, licet impiè inſignitę ſunt; vt illuſtriꝰ Scho-

læ denominarentur. Mamertinus in Genethliaco: *Quid illud, Dii boni? quale pietas vestra* (Diocletianum & Maximianum compellat) *spectaculum dedit, cùm in* MEDIOLANENSI PALATIO, *admissis qui* SACROS VVLTVS ADORATVRI *erant, conspecti estis ambo; & consuetudinem simplicis venerationis geminato numine repentè turbastis?* Inter Vrbis igitur miracula PALATIVM conspicimus. vbi autem Schola? Itáne, Ausoni, maximum ornamentum Elogio secreuisti? at tuum hodiè Elogium, & imaginem Schola recepit; imò in fronte præfert, velut suum proprium, & vrbis decus. Repeto, & altiori voce increpo: vbi, Ausoni, Schola? An PALATIO inclusisti? Ita existimo. digniùs enim habitare Litteræ non poterant, nisi vbi Imperator: nec debebant alibi, nisi vbi Imperator. Oculos vestros appello: hic ipse situs annon veterem memoriam exponit? Non in publico tantùm, aut in foro, aut in Comitio, sed in ipso hodiè Palatio docemus. Postquàm enim OLDRADVS TRESSENVS Prętor, anno ∞.CC.XXXIII. nouum Palatium istud in nouo foro exstruxisset, hic locus Gynæceium, siue Palatium minus, in quo Prætorum vxores habitarent, factum: quod à MATTHÆO VICECOMITE, ∞.CCC.XVII. in minorem Curiam transmutatum, mox SCHOLAS PALATINAS admisit. In Palatium igitur, atque adeò Curiam à IO. MARIA GALEATIO litterarũ amantissimo Principe Eloquentię sedes, velut propriũ regnũ, translata est; vt in nouo loco auitũ nomen inueniret. an & Principem, nouumq; Musagetam? Omnino. vicinus enim ille; imò in conspe-

ctu,

ctu,tametſi receſſit:receſſiſſe autem videtur, vt locum Scholę daret:neque tamen receſſiſſe,qui nunc etiam contubernii ac præſentiæ felicitate Scholas perfundit. Vbi enim habitare Princeps videtur,niſi cum Republ.vbi autem Reſpub.niſi vbi ius, & Iuſtitia vrbis? Intra hæc ſepta comitia feruent,ſuffragia feruntur,& priuatus quiſq; velut in Populi cauſsâ verſatur. Nũc verò Schola ipſa,quid niſi Palatium? Pulpitum, & ſuggeſtum,quid niſi ſolium?Profeſſor,quid niſi imperantis imaginem adumbrat?In publico,& cottidiano conſeſſu hic vnus eminet,dicit, docet : in hunc vnũ oculi omnium coniecti ; vnus omnes reſpicit:ab huius omnes ore pendent, ad huius omnes nutum mouentur. Etenim Suadæ Myſta,ſi orat,potentior imperante eſt:ſi docet,melior. Impellit enim quo vult orando auditores ſuos; & hi ipſi affectum accipiunt quemcunque Orator induerit? Docendo verò rudem,& ligatum, vt ita dicam , diſcentis animum linguamq; expedit,ad benè pariter faciendum ac dicendũ. Similitudinem igitur Principis Profeſſor repręſentat.vbi?in Schola;imò in Palatio. Scholaſticum enim hoc Palatium eſt,atq; adeò PALATINA SCHOLA.Palatium;in quod ſine ruboris impedimento introire:Schola;in quâ diſcere, ætas & ordo quiſq; poſſit. Tu qui iunior,obſcurior, pauperior,puta te in Scholã venire:tu qui maturior,nobilior,potẽtior,in Palatiũ.In Scholâ alẽdus,& roborandus eſt animus,vt in Palatio conſiſtat.Bone Deus!quæ hæc ratio eſt? quod benè diſcas publicè , pudor eſt ; quòd malè facias, laudem habet? Ad publica vitia, & libidines

corrupta verecundia ruit; ad publicā vocē siquis pedem intulerit, erubescit: postquàm retulerit, pusillum temporis *queritur se, quia non perdiderit, perdidisse.* Quid malum, sportulis, aut cænis conducendi Auditores sunt, aut nummo conducendi, prisco vitio, qui subsellia mihi compleant? qui applausum commoueant? qui Scholæ dignitatē suffulciant? Nec Sophocles, nec Laudicenos moror: voueo tantū, vt sint qui dignentur doceri. nec enim vt ipse disertus videar laboro, sed vt alios faciam. At iam priuatim, inquiet aliquis, Eloquentiam haurio, iam puer hausi. Nescio; sed tamen qui audire fastidit, quæ semel didicit, quid nisi pœnitere videtur se didicisse? Rectum bonumq; ingeniū libenter audit, quod docere quoq; possit. Adde quòd rerum omnium fragilis, & fugitiua quædā memoria est. Licebit autē alieno sudore varias doctrinę imagines instigare, vt viuant. Si non fructum hunc capies, vt discas; voluptatem capies, vt scire te intelligas. Quid si etiam meliora quædā paro, non in vmbris Scholarum obvia? Post cœnam, bellaria nemo spernit. Per ripam ego fluminis, & supercilium riui spatiari soleo, non vt bibam, sed vt vitreo colore oculorum hilaritatem pascam, aut Nympharum gratissimo murmure auribus delicias faciam: ita hic licet. Marcum Ciceronem, ipsum Eloquentiæ Principem, & Scholæ nostræ Dictatorē, Suetonius M. Antonii Gniphonis Grāmatici Scholam frequentasse scribit, *etiam cùm Præturâ fungeretur.* Imitare, & ad honestam voluptatem veni, ad amœniorem aliquam doctrinam, ad quam à Principe, & Republ. vocaris.

Pu-

Publica enim hæc inſtitutio eſt, quâ ciues ſibi Princeps format, Reſp. adoptat. Ille vt dignos Republ. hæc vt Principi deuotos faciat. Bonos eſſe ciues ſalus Reipubl. eſt: & Princeps bonus, hoc à Repub. meretur, vt tales regere poſſit, qualis ipſe eſt: hoc etiam officium Reipubl. vt Principi ſimiles ſubditos exhibeat. ita enim facili freno ab vno multi reguntur, ſi in vniꝰ multi exemplum conſpirent. Noſter verò Princeps ille ab ipſo Marte creatus, etſi bonus ſine litteris, & vtilis Reip. contigit; intelligit tamen ſe bonos ſine litteris ciues habere non poſſe. Jllius quidē tantum tamque diuinum ingenium eſt, vt ſine litterarum adminiculis boni ac glorioſi Gubernatoris nomen tueatur. bonus ex eo, quòd proſit: glorioſus, quòd ſine litteris Noſcat igitur Iuuentus Principem ſuum, & ſub illo florentem Rempublicam: noſcat in hac Scholâ. Capita ecce proſcriptorū ciuitatis oculis pro Porticu noſtrâ exponuntur; proſcriptionis minæ proclamantur; vt in illo potiſſimùm loco ciuiū iure, & commercio ſcelerati priuentur, vbi ad Patriam conſeruandam, augendam, ornandam inſtituuntur: illic potiſſimùm pœnam ſuam populo oſtendant, vbi ad prœmiū promouentur. Hic enim vſus Scholarum, quas qui amat, & frequentat, ſeipſe dignum Republ. & Famâ parat: qui negligit, & ſpernit, iners otium ad enormia facinora fouet. A' Scholâ igitur ipſa Reſpub. pendet: ac tantam quidem Rempubl. habituri eſtis, quantam Scholam facietis. Hæc enim, quemadmodū in ipſo homine cor, ita in ciuitate veſtrâ cenſeri debet, vnde vis, & vita omnis ingeniorum

per vniuersum, & diffusum istud corpus deriuatur. Hæc vultum ipsum ciuitatis recipit, & facit. Si publicum aliquod gaudium est, vbi effusiùs exultatur? si dolor, vbi mœstiùs plangitur? vt mihi quidem videatur vterque Reipub. status, seu prosper seu aduersus, in Auditorio isto posse explorari. Intra modò, vt, si pars aut membrum Reip. videri vis, te ipsum inuenias. Intra, NAM ET HIC DII SVNT. Non ego ædificiũ tibi commendo, sed Professionem; non pulpiti pretium, sed dignitatem; non sediliũ ordinem, sed vsum; non laquearia ista, sed errantem imaginem Suadæ; non aditum, stationem, proscholium, porticum, signa, columnas, non deniq; marmoream illam, & augustam faciem: quia sine his omnibus vtilitas ac maiestas Scholarũ infracta est; & hæc omnia, aut meliora, aut deteriora esse tẽporis, aut benignitate, aut iniuria possunt. Ipsum tantũ nomen inculco, PALATINAS esse: & quod nomini coniunctũ, in meditullio ciuitatis sitas. *Scilicet vt in cœlo, mediam ferè regionẽ Sol obtinet dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio*: ita hæc Schola centrum vrbis inter tot Gymnasia, & Collegia circumfusa, è quibus faciliùs breuiusque ad publicam Suadam Iuuentus concurrat. Itaq; Scholæ principi minora illa astra seruiant, illi conspirantes cœtus, illæ nouæ, & adultæ faces, quæ per caliginem hanc litterarum accensæ, vmbratiles cathedras implent. Renascitur priscum SCHOLÆ PALATINÆ nomen ac numen, sed etiam nunc in crepusculo gloriæ positum, & frigore: obseptum fuligine quadam, & velut reli-

quiis

quiis noctis,quę magno animo euincendę sunt, aut certè contemnendę,dummodo ne noceant. Sed quid animi crucior?terrebunt magis, quàm nocebunt; acimpedire lumen publicum poterunt,motum non poterunt.Impelletur enim altiori auxilio votum bonæ mentis ; ac vret delebitq; coactas illas nubes.Ego quidem non ſolus, ſed tamen primus Eloquentiæ hunc currum ago:felix,ſi non primus vocis ſtiliq; impedimenta experior.Sed carpe;& ſimul caue,quiſquis infeſtus conatibus meis es.Ita enim contra publicam liuoris petulantiam animum obarmaui, vt & concoquere reprehenſiones poſſim, ſi merear;& iudicare,an merear.Longè quidē à ſpe gloriæ remotus eſt,qui reprehendi non conſueuit: longiùs , qui contemnit reprehendi. Ille enim qui non conſueuit,ſimplicitatis vitio errare in minimis ſe putabit, ſi modò reprehendatur: qui contemnit,arrogantiæ impoſturâ ne in maximis quidem poſſe;cùm tamen maximè poſſit. Ego autem,& reprehendi aſſueui dum eruditus ſum;nec contempſi, vbi reprehenſus ſum : hoc imprimis meo bono, quòd ſupra reprehenſiones citiùs euaſi.Correctorem enim qui ſuſtinet, priuſquā didicit,ſcientiæ proximus eſt;qui poſtquàm didicit,ſcientiâ maior eſt. Nunc quoniam de ſitu Scholarum dicere cœpi,circumferte etiā oculos,& circumfuſam aliquam pompam , imò laudem agnoſcite:illas circumquaque ſubſeruientes Bibliothecas , illam ſupellectilem Muſarum:illum toto foro Mercurium ſollicitū:illos è pegmate perſtrepentes aretalogos, mimos, hiſtriones,quiq; ſpuriam quamdam Eloquentiam

gesticulationibus vestiunt, ex ipsius Scholæ cōfinio linguæ præsidium captantes: Scholam ipsam non humi neglectam, sed in sublimi suspēsam, supra sordes, & studia vulgi. Suspensam; vt in ipso conscensu studiorum difficultatem aliquam, & molestiam præsentias: posteà, quietem ac voluptatem. Experire, & si in publico eminere vis, in publico disce; imò Eloquentiam, si eminere. Hæc enim artis illius natura est, vt parari non possit, nisi vbi vsum habet; vsum autem habet in publico. Itaq; priuatim loqui disce: publicè, eloqui. ad loquendum enim Natura, aut priuata institutio sufficit: ad eloquendū Ars, & Exercitatio publica necessaria est. Hinc Quinctilianus, optimus dicendi Magister: *Ante omnia futurus Orator, cui in maximâ celebritate, & in media Reipub. luce viuendum est, adsuescat iam à tenero non reformidare homines, neque illâ solitariâ, & velut vmbratili vitâ pallescere. Excitanda mens, & attollenda semper est, quæ huiusmodi secretis, aut languescit, & quemdam velut in opaco situm ducit, aut contrà tumescit inani persuasione. necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat.* Vbi autem excitanda mens, nisi in luce Scholæ Palatinæ? in hac imagine Antiquitatis? in hac gloriâ vrbis? Demus demus è priuato puluere Eloquentiam aliquam posse excrescere: ferūt tamen amœniorem ac valentiorē libera hæc spatia; sicuti indomitus ager herbas lætiores. Quid verbis opus est? Eloquentiæ imaginem quandā Scholæ priuatæ adumbrant: faciē ipsam publicæ repræsentant. Refert etiam in vmbrâ, an in luce verseris; liber, an sub iugo. Magnum animum prodit, magnamqu⁻ de se spem Reipubl. præbet

bet, qui discit vbi non cogitur. Nam priuatæ illæ Institutiones vltra leges suas ingeniorum fructum vix producunt: & in vinculis illis studet magis quàm proficit iuuentus, simul cum vinculis studia excussura, nisi iam publicè suâ sponte exercere ingenium adsuescat, dum cogitur priuatim. A priuatis exercitationibus neminem abstractum cupiam: tantùm à publicis non seclusum. *Nemo ire quemquam publicâ prohibet viâ.* Quæ enim hæc miseria, aut infelicitas Mediolanensium, habere veterem illam Eloquentiæ Scholam, habere Professores: Eloquentiam qui discant non habere? Non ego meâ, sed vestrâ, & vrbis caussâ crucior: ideoq; publico damno verborum iustâ querelâ ingemisco. In tanto populo, in tantâ iuuentute, quàm pauci ad audiendū, & quàm pigrè conueniunt? Plures (ignoscat mihi Scholæ Genius) pænè qui audiūtur, quàm qui audiunt. Ego tamen ad ambitionem, aut illecebras adulationis non descendo, vt Auditores colligam; sed ingenii experimentum Scholę impendo, vt merear. Quisquis es, & dicendi desiderium aliquot habes, Priscos illos Rhetores cogita, & in SCHOLIS PALATINIS disce, vbi gloria quoque est, didicisse: disce, vbi P. VERGILIVS MARO aliquando didicit: vbi VALERIVS MAXIMVS vester: vbi VIRGINIVS RVFVS, III. Consul, Rhetor insignis: vbi FRANCISCVS PETRARCHA: vbi ANDREAS ALCIATVS: vbi HIERONYMVS CARDANVS. postremò, vbi tot insignes, & præclari viri: quos omnes eorumdem studiorum consortes iactare, & horum aliquem imitatione exprimere poteris, si eamdem Scholam frequentaris. Non quidē Au-

gustinum auditura; sed illum, qui longo post interuallo suffectus Augustino eiusdem munus obit. Etenim si Eloquentiæ fructum Professor publicus Scholæ impendit; & à Schola Auditor capit: tot Professores audire videare, quot in Schola vmquam docuerunt; si in Schola audieris. Sed ego, non quem aut quos audias; sed quid audias, considerare te volo: non Professorem, sed Eloquentiam ipsam. illum enim iactare, ad priuatam tuam; hanc, ad publicam Scholæ gloriam spectat. Scholæ? imò Vrbis: cùm florentem sine Schola Eloquentiam habere non posimus, nec sine Eloquentia Vrbem. DIXI.

Viro

Viro Clarißimo

PETRO CANTONIO I. C.

Mediolanensi.

QVOD *voce apud alios soleo, nunc scripto apud te promam Clarissime Vir, magnum te lumen columenq; Mediolanensium esse. Tu enim ille vir, qui inter paucos priscam illā, & fugitiuam bonæ Mentis, bonæque Themidis imaginem expressam moribus geris, Litteris, & Legibus clarus; in me singulari quodam adfectu pronus. Sine fastu aut supercilio Litteras habes, sine fuco aut Labyrintho Leges; sed in deliciis Litteras, & simul Leges. Sic Larem tuum, velut Iustitiæ asylum, ciuibus aperis, & de Iure respondes cottidiè; per remissionis quadam interualla amœniori Lectione, atque etiam sermone animum laxans. Sermoni quidem iam aliquoties ego interfui, & ingenium, doctrinam, prudentiam tuam admiratus sum. Hærent mihi, animumque mulcent mellita illa verba, de bona mulierum indole ingenioque nuper facta; quibus subscripsi, & nunc iterùm sollemni formulâ subscribo:* iusque fasque esse, in Rempublicam Litterariam feminas adscribi, o-

ptimarũ artium cultu exerceri, à Famâ & Æternitate non secerni. *Etenim pars nostri melior, quâ diuina ista munia obimus, animus est; sed hunc in feminis etiam purum robustumq; esse, præsenti exemplo disco,* HELENÆ CRIBELLIÆ, *discipulæ meæ, virginis modestissimæ, Suadæ, & Gratiarum puellæ; quæ castè feliciterque ingenio vsa, etiam dicere publicè cœpit, & laudabili nuper* PRO LIBERTATE LITTERARVM *Oratione sibi litteras vindicauit. Oratione, quam ego quidem fateor meam esse, si Elocutionem spectes; sed si famam, sino illius esse, quæ Demosthenicâ quadam* ὑπόκρισει *Famam Elocutioni impetrauit. Tu Clarissime Vir, siue à me qui scripsi, siue ab illa quæ dixit, eam habe, & in gratiam Litterarum, Mulierumq;, hoc deinceps suffragio, vtrarumq; patrocinium suscipiens, Litteras Mulieribus, & Mulieres Litteris restitue. Mediolani, Postrid. Kal. Septembr.* ∞, IↃ CIV.

ORA-

ORATIO V.

PRO LIBERTATE LITTERARVM:

Ad Matronas Virginesq; Mediolanenses.

SI quantum in me animi, tantum virium esset, Matronę Virginesq; Mediolanenses, nihil Amœsiæ Sentię clarissimę feminę, & caussam suam olim publico in iudicio facundè feliciterq; agenti cederem: Nunc verò non sexus tantum, aut ætatis; sed infantiæ verecundiâ quadam impedita, trepidè virum dicendo agam; vt oratio potiùs mea, quam vita aut mores in publico laborent. Cùm enim instinctu bonæ Mineruæ Litterarum studia amplexa, non minus stilum, quàm acum cœpi exercere, multorum, quasi vitium sexui adderem, non perfunctoriis reprehensionibus pulsata sum. Quæ me, siue iniquitas, siue inuidia tam grauiter adfecit, vt commasculatâ fronte, meam, totiusque sexus nostri caussam suscipiens, omnia facere PRO LIBERTATE LITTERARVM in animũ induxerim.

Etsi enim longa temporis præscriptione ius ad se omne viri pertraxerunt; non tamen eò infelicitatis proiectæ mulieres sunt, vt abstinere ab animi cultu debeant, postquam corporis ornatu lasciuire maximè cœperunt. Publicè hoc dico, & sic publica iudicia prouoco, vt vniuersam hanc caussam publicè, & examussim disputem. Vos autem qui Iudices estis, adsentite & iuuate, si æqua profero: si iniqua, reprehendite, & damnate. Adsit igitur animumque aduertat Virorum patronus, aut si quis Virorum suffragio censuram litterarum gerit, & pauca mea verba recto purgatoque examine dispungat. Litteris Virorum esse proprias ais: sed quam ob caussam ais? quiáne ornamento sunt? at mulier tibi ornata placeat: quiáne voluptati sunt? at voluptas minori vitio in muliere toleretur: quiáne vsui sunt? at vitæ vsus æquo iure ad mulierem se extendit. Etenim sine litteris Remp. laborare sapientes prodidêre; quia verò Oeconomia, morumque disciplina partes Reipub. sunt, & muneris quoque nostri; nescio equidem cur non & litteræ esse debeant. Vita priuata à feminis pendet, publica à priuata, & qualis domus cuiusque priuata, talis quoque ciuitas, quasi magna multorum domus vnione & communione quadam vitæ constituta, quæ sine feminis esse non potest, sine viris aliquando fuit: vt à solâ feminâ quàm à viro rectiùs, faciliùsque vidua familia gubernatur. Ego tamen, ne miscere omnia videar, Rempub. iura, leges sino virorum esse; & hactenus litteras, sine quibus stare neque Resp.

neq;

neque iura, neque leges possunt: sed vitam priuatam, curamque familiarem subiicio imperio nostro; & vna litteras, quibus & vita priuata, & cura familiaris prudenter administretur. Itaque sumite vobis publica, ò Viri, sumite Litteras; vt ad certam quasi cynosuram normamque nauigantes, sine periculo publica habeatis. Nos in priuatis occupatæ, litteras etiam adhibebimus, velut commune rerum negotiorumque omnium instrumentum, quo domum, quasi minutam aliquam Rempub. temperemus. Sed profectò nimiùm ego quidem de iure meo cedo, ac communi mulierum caussæ præuaricari videor, quæ in partem litterarum viros admittam, cùm femininæ ac castæ omninò litteræ sint, virorumque commercium omne fugiant. Fugiunt certè, etsi non effugiunt, olim & nunc quoque velut Sabinæ raptæ, & præter ius omne gentium iniquo imperio pressæ. Enimuero, duo mortalium studia præcipua sunt, Armorum, & Litterarum: quemadmodum duo tempora, belli & pacis. Sed mortalium quidem nos quoque pars sumus, nisi vnâ ætate genus humanum finiamus. Quare, cum Armorum studia tamquam propria viri vsurpent, Litterarum non iniuriâ vindicare nobis videmur, vt in partem & nomen humani generis admittamur. At vero, inquies, vt mentis, siue ingenii, & corporis munia copulantur: ita arma quæ ad corpus, & litteræ quæ ad ingenium referuntur, coniungi debent. Sed cùm ordo Naturæ arma & militiam viris

concesserit, concessisse etiam litteras videtur, quibus vrbes & Leges condant, iura præscribant, Religionem firment, & vno verbo Remp. constituant. Quid istuc est? Siccine sine dolo togam profiteris? insidiæ verborum sunt, quas ego non Litterarum, sed Armorum præsidio, periculi secura, quasi per ludum eludam. Itaque absit pauor, absit terror: Arma feminis, & sic cum Armis (negas enim disiungi posse) Litteras consigno. Quid enim? animi, aut lacerti nobis desunt? Vis, aut dolus? Sensistis olim viri, & nunc sentitis etiam, quàm altè mulieres vulnerent, quàm non ad sanguinem exhorrescant. Vestras clades Historiæ referunt, cicatrices reuellunt, vt sciatis pugnasse olim Amazones, sed & nunc pugnare. Etiam hiscitis? Deus ipse mulierem formans, quasi virili robore ad quæcunque munia corporis obeunda instructã, Viraginem nominauit. Et diuinus Plato mulieres voluit (verba Appuleii vsurpabo) *omnibus partibus quæ propriæ virorum putantur coniungendas esse; Bellicis etiam: quippe cùm vtrisque natura vna sit, eamdem esse virtutem.* Subscripsit Gentilitas, quæ certo quodam erroris consensu, non minùs Bellonam nobis, quàm Martem vobis dedit: quæ amplius vobis infesta clara armis mulierum exempla litteris celebrauit: quæ, vt vno ictu te absoluam, Armorum ac litterarum coniunctionem non in Deo, sed in Deâ repræsentans, Palladem, præsidem illam Litterarum, armatam finxit. I nunc bone Vir, & ad arma confuge, vt Litteras tibi vindices; i, & plenus tumore è finibus humani iuris, ac
nomi-

hominis feminam proiice, quasi solus homo. Hoc age potiùs, & missis Litteris, supplex feminis esto, vt arma recuperes, vt teipsum hominem adseras. Ego quidem, ne tam armorum terrore, quàm rationis quodam iure vsurpare litteras videar, iam quidem sino arma in medio esse, ac pacis tranquillo habitu Litteras quasi proprias amplector. Etenim si conditionem naturamque Mulierum, ac Litterarum componas & examines, natas Mulieres ad litterarum exercitia, & Litteras ad ornamentum Mulierum inuentas esse fateare. Ecce, quietem, otium, ac solitudinem Litteræ requirunt. quâ etiam de caussâ altissimorum montium cacumina à Musis delecta & culta finguntur, & inter mortales Litterarum domiciliũ SCHOLA siue OTIVM vocatum est, vt extra motum & strepitum omnem, plenam quietem studia inuenirent. Vbi verò hæc quies, hoc otium, hæc solitudo? anne apud viros, qui ad negotia natos se iactitant, & in æstu curarum ac turbine vota sua consumunt? Profectò virum cùm video, nauem videre irato in pelago videor, quam noui & noui fluctus semper succutiunt. Quem enim ambitio non inquietat? auaritia non torquet? scelus non infestat? Mulieres verò, quæ in vado & portu tranquillitatis sunt, nullis impietatis procellis expositæ, vacare litteris sine impedimento vllo possunt. Inter domesticos parietes vitam quietè, & sic feliciter agunt, remotæ à platearum rumoribus, remotæ à vitiorum colluuie, remotæ ab infelicissimo stre-

pitu fori. Larem curant, liberos educant, & in ſecuro otio tranquillam, & amatam Muſis mentem poſſident. Viri contrà (non enim poſſum quin comparationem hanc extendam) animo, & corpore diſtracti ſunt; nec per quietis vlla interualla, tot foris hauſtas, tamque confuſas rerum imagines delent aut digerunt. Vexant noctu inquietudine mentem, quàm interdiu onerant: laxant domi, vt denuò foris impleant: & ſic infelicitatem ſuam continuò ordiuntur, ne vmquam finiant. Quid tu autem? in hoc motu & æſtu tranquilla & fœcunda eſſe ſtudia exiſtimas? ſcilicet, vt quietæ nubeculæ ſunt, cùm venti & procellæ ſæuiunt. Vt aqua ſuccuſſa nullam, aut confuſam imaginem reddit: ſic motu impedita ſtudia ſunt, nec ſe inuenire animus contemplantis in rerum, & curarum illâ confuſione poteſt. Sed quid ego mentem, atque adeò linguam his ſcopulis amplius allido? curas loquor, curas video, & iam, vt ad confuſum clamorẽ aures ſolent, mihi animus ipsâ cogitatione tot moleſtiarum quaſi obſurduit. Quare ad me ipſam, & quietem meam reuertor: quam meam eſſe, non verbis tantùm, ſed habitu & ipſo ſexu conuinco. Verbis ſi fidem demitis, habitum noſcite, totum ecce otii, modeſtiæ, tranquillitatis; ſi habitui, ſexum, & hunc totum otii, modeſtiæ, tranquillitatis: Noſcite inquam habitum & ſexum, hunc litteris aptum, illum deſtinatum. Hinc quidem erudita illa Antiquitas, quæ generis differentiâ ipſa quoque nomina diſtinxit, Scientiis, Artibuſque omnibus femininũ conceſſit.

cessit. Grammaticam enim, Dialecticam, Rhetoricam, & ceteras si audias, feminæ sunt, si legas, feminæ; si videas, feminæ: & sic propriæ quoque feminarum optimo iure censeantur. At enim hactenùs virorum semper fuêre. sed iniuriâ: & hoc illud est, quod à priscis corruptum temporibus praua consuetudo publico damno tenet. Non tamen vsqueadeò ingenii feminini libertas atque præstantia oppressa fuit, quin se per interualla illustribus exemplis erexerit. sed quando penitùs asserenda? Nolo protollere ad posteros votum meum, cùm longum nimis nimisque incertum sit præsumere ab aliis, quod ipsa declinem. Vos hortor & rogo, siue nuptæ, siue virgines estis, vt mecum pariter PRO LIBERTATE LITTERARVM conspirantes, insigne & gloriosum seculis facinus audeatis. Nostræ litteræ sunt, & iam neglectu horrent squallentque sub iniquo imperio Virorum: sine iniuriâ inuademus, quæ nostræ sunt; cum laude excolemus, quæ desertæ sunt. Iungite animos, date dexteras; vicimus, si volumus, sine cæde aut sanguine victoriam maximam, imperium Orbis, & æternæ memoriæ triumphum habituræ. Ipsæ litteræ, iam excusso quasi iugo, non tam opem, quàm tutelam nostram implorant, non minùs infestæ ac infensæ viris, quàm Tarquiniis olim Romani fuêre. Protriuerant Superbi illi tyrãnide populum: & nostri hi Superbi litteras; vt nesciam profectò maiora populus ille olim, an nunc litteræ passæ sint. Quid litteræ? imò verò nos ipsæ, quarum communis cum litteris conditio

est. Viris seruiuimus hactenus; quia litteræ: in contemptu & ludibrio fuimus, quia litteræ: tot iniuriis agitatæ, quia litteræ. Itaque vt ipsæ nos liberæ, saluæ, viuæ simus, Litteras faciamus. Æquales enim viris sumus, si facimus. DIXI.

Reuerendißimo P.

D. TIMOTHEO BAROFFIO,

Cartusiæ Ticinensis PRIORI, CONVISITATORI Insubriæ.

LIBRORVM *caussam apud magnum & planè diuinum Antistitem nostrum egi, & peregi, Reuerendissime P. Magnam & diuinam prorsus caussam, si tranquilla litteratæ mentis munia arbitrio non plebeio libremus. Plebem linquo: ad te venio; vt alter nunc mihi iudex sis, tu quoque magnus & diuinus. Talem te profectò Prudentia & Dignitas faciunt, imò ostendunt; nec fouere sacrum illum tot Virtutum ignem potes, nisi vt luceas. Luceas inquam, in magnâ quoque & diuinâ domo; quæ emittit collectos illos piæ Famæ radios, spargitque per Insubriæ circumfusas & amœnas plagas.*

Sic

Sic felix ſimplexq; Domus fraudumq; malarum
Inſcia, & hoſpitibus ſuperis digniſſima ſedes.

Sic felix Inſubria; nomenque ſacri cœtus præſentiâ tuâ lætum, ſodalitate & ſedulitate tranquillum, curâ & inſpectione venerandum. Meritò igitur ad te venio, nec vt inſpicias ſolùm Orationis huius ſtudioſum adfectum, ſed vt exemplo ampliſſimi Cardinalis amplectaris ac promoueas. quemadmodum ille in ſuâ vrbe; ſic tu in tuâ domo, velut vrbe. Cœtum vide, & Ciues te habere exiſtima, ambitu & complexu murorum vnitos & munitos, diuiſione Larium in ſua quemque tecta diſcretos. Etenim formâ legibusq; minuta hæc quædam, ſed ſacra Reſpublica eſt, ſacro librorum vſu non conſeruanda ſolùm, ſed ornanda. imò ſacra hæc quædam Militia eſt, & libris tamquam armis conſtat. Corpus munis, aut exerces? armis opus eſt: mentem? libris. Otium ipſum armorum quodam ludo, velut in vmbrâ belli, vincendum eſt; ne corpus viréſque inertiâ tabeſiant. at ne animus; quies & ipſa ſolitudo bonorum librorum lectione occupanda. Hæc ad beatam vitam via eſt. Zenoni Oraculum conſulenti, Quâ ratione optimè victurus eſſet, reſponſum ferunt, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς: Si concolor mortuis fieret. *Vide nunc Rempublicam aliquam, vide Militiam, rectâ diſciplinâ ſanam; ecce vſui atque ornamento ſtructum Armamentarium inſtructumq; inuenies: tu exemplum ad tuam Rempublicam, Militiámque transfer, ad tuam illam Domum, quæ cæteris elegantiarum numeris abſoluta ac celebris, explere Famæ ſuæ mi-*

raculum non potest defectu Bibliothecæ. At nequid contra sanctum vitæ secretæ votum. Quin hoc ago, nequid fiat. In Bibliothecâ tamquam in horto ambules, tecum sis, tibi vaces. Qui libat florem, solitudinem non violat; qui carpit herbam, quietem non conturbat: inter has amœnitates quisque tamen suus est; Deum, & se inuenit; Deum, & se contemplatur. pariter in lectione, quæ soror contemplationis, ipsiusque solitudinis felicitas est. Necdum persuadeo? Ecce à primo statim limine hortus, apotheca, & ipsa Aesculapii officina ac supellex. Quod si igitur sanando corpori conduntur pharmaca, & promuntur cottidie; cur non animo quoque libri? scilicet & huius quædam pharmaca sunt, vt morbi; struenda & stipanda in vnum aliquem & communem locum. Fecit antiqua, facit nostra ætas. Fac tu quoque Reuerendissime P. vt magnus regiusque titulus in magna domo locum inueniat, fructum reddat, ψυχῆς ἰατρεῖον. *Mediolani, XII. Kal. Septemb.* ∞. IↃC.V.

ORA-

ORATIO VI.

DE VSV FRVCTVQVE LIBRORVM, & BIBLIOTHECÆ AC MVSE'I Ambrosiani:

Ad Illustriss. & Reuerendiss. Cardinalem BORROMÆVM.

MAGNA & immensa moliri cœpit humana solertia, vt semel Naturæ conditiones spreuit. Angustæ terrarum plagæ visæ; & in aliena ac negata Elementa imperium prouexit: libera, simplex, sobria vita erat; Leges, Artes, Delicias induxit. cũ omnia fecisset, in ipsam quoq; lethi necessitatẽ vires experta, Immortalitatem adfectauit. Quia igitur corporis animiq; compago & copula fato deficeret; inuentæ imagines & signa, quib. corpus; litterę & libri, quibus animus siue ingenium sibi superstes esset atq; perennaret. Sic vitæ auiditas modũ inuenit quo in Posteros natus quisque duraret, post mortem tamquàm mortis exsors. Quid deinde? Famæ gloriæq; occasio ingeniis nata, & faces Virtutibus subiectæ magnam magnorum virorum lucem memoriamq; pepererunt. Alius facere digna scriptione, alius scri-

bere facta, siue factu digna; & ad exempla Posteritatem prouocare. Id quanto nostro fructu, breuiter, & cum laude Bibliothecæ Museique, ingenti quæ animo ac sumptu instruis ornasq; dicere constitui; imò debui, tamquam auctor æterni operis, aut certè suggestor. Vt qui iter facit, vestigia amat: sic qui ad Virtutem grassatur, exempla. discrimine tamen isto; quòd vestigia, quæ recenti pede pressa; exempla, quæ longo æuo remota. ita faciliùs veteribus cedimus, & magistram agnoscimus Antiquitàtem. Hæc igitur in libris virisque exempla exhibuit; & pro exemplo libros atque viros. illos, quos sine tædio legeremus: hosce, quos sine inuidiâ sequeremur. Sic ad imitationem libros legimus, & viros in libris. Ac profectò nisi legeremus, omnis fuisset virorum fama, omnis Doctrinæ & Virtutis vsus. Etenim lectionis fomite viget animus, & recti honestique amore accensus supra præsentis æui socordiam se effert. Quid? lectionis præsidio pacis bellique negotium geritur; & vno verbo, summa Reipublicæ constat. Miramur, fusisque querelis ingemiscimus, irrepsisse in animos Virtutesque ignauiam, Leges Iustitiamque ambitu & auaritiâ vacillare, vitam moresque mortalium fœdissimâ vitiorum scabie deformatos: sed caussæ in procliui sunt; quod sacros illos æternosque Virtutum Magistros non solum infra ipsas voluptatis & pecuniarum sordes depressimus, sed exilii velut acerbitate dignos, ex vsu pretioque proiecimus. Magistri illi libri sunt, felicioribus seculis, in declinantis æui exemplũ, conditi; quibus imbecillę Naturę errores Posteritas

ritas corrigeret, habitumque ipsa indueret Antiquitatis Sed nos quidem, quantum à libris, tãtum à Virtute Gloriaq; recessimus; sine quibus cœca & prona ad voluptates mortaliũ vita & vota. Libros tolle; quidquid præteritum est, nox & obliuio inuoluit; quidquid futurum, error & caligo. Hæc temporis faces sunt, quibus à præsenti circumquaque res humanas distinguas; & Maiores simul Posterosq;, velut præsentes. Circumscriptum verò hoc ipsum lumen, etsi immẽso ambitu; circumscriptum, vt infiniti curiosa mortalitas temporis obstacula haberet. Extra fines suos Naturam quærimus, &, quasi ad præterita aut futura nati, quid ante mille secula fuit, quid post mille secula erit, indagamus. Fuêre multa, etiam cùm non fuisse; aut aliter, quàm fuisse arbitramur:

Tantum æui longinqua valet mutare vetustas:

& rerum artiumque plurimarum origo ad vltimam Antiquitatis memoriam reflexa, tamen velut in crepusculo quodam citra inuẽtores suos vacillat. Quin res ipsę & artes quodammodò æternæ sunt; sed siderum instar, occasum, ac denuò ortum suum habent. Nam & abeunt à notitiâ hominum, velut in obliuionem fugientes; & in lucem adspectumque emergunt postliminiò atq; renascuntur. Scilicet prono cursu mortalia cuncta properant; & longo interuallo Obliuio sequens; carpit à tergo memoriã & extinguit. Vt enim qui curru aut naui fertur, ambientẽ orbis terminum variat, motuq; suo librat: sic res humanæ fatali lege euntes, Horizonte, vt ita dicã, tẽporis claudũtur, & perenni vicissitudine

amittunt ſimul & adquirunt memoriam, dum extendunt. Quid miramur? Naturæ hæc neceſſitas eſt: benignitas tamen quod transferat, non contrahat tẽporis illud ſpatium ſiue lumen. Sed quantũ quantum hoc ipſum eſt, libris debetur: magnum & diffuſum, cũ magna fax librorum lucet: exiguum & contractum, cùm dubio illa radio aut adulto laborat. Primoribus illis & beatis ſeculis, cùm ſummum inter homines certamen eſſet, vt Doctrinæ Virtutiſque gloriam æternitas exciperet, quanto in pretio, & numero libri fuêre! Græcos Romanoſque videmus. apud vtroſque inter præcipua opera Bibliothecæ. E' Græcis, ſtudium Polycratis Samii, Piſiſtrati Tyranni, Euclidis Athenienſis, Nicocratis Cyprii, Euripidis Poëtæ, Ariſtotelis Philoſophi admirêre. E' Latinis verò Cæſares ipſi ſtudioſâ & impendioſâ curâ ornare, imò munire vrbem imperiumque voluere; & *Ingenia hominum*, vt cum Plinio dicam, *rem publicam*, æternamque fecerunt. Primus Cæſar, quaſi poſt vltimam victoriarum Fortunæque felicitatem, reſtaret etiam quod ambiret, *Deſtinabat*, verba Suetonii ſunt, *Bibliothecas Græcas, & Latinas quàm maximas poſſet publicare, datâ M. Varroni curâ comparãdarum, ac dirigendarum.* Secuti, Auguſtus, Tiberius, Veſpaſianus, Traianus, aliique: & in vrbe Româ, notante P. Victore, *Bibliothecæ publicæ vndetriginta* exſtiterunt. Sed hos theſauros (ò infelicitatem!) pænè deleuit ætas, diſperſis cum imperio imperii ornamentis: quorum tu reliquas (ò felicitatem!) magnâ & glorioſâ curâ col-

colligis Illuſtriſſime & Reuerendiſſime CARDINALIS; imò promis, in vrbis huius, atque adeò orbis; in ætatis huius, atque adeò æternitatis totius, non ſpectaculum modò, ſed vſum. Agnoſcant vrbs, orbis, ætas, æternitas,

Hæc opera, atq; hæ ſunt generoſi Principis artes.

Quid dicam? fugientis renouatur memoria Antiquitatis; & ipſa in rebus humanis Æternitas auxilio tuo erit, imò hactenùs videbitur fuiſſe. Curæ namq; & impendii magnitudo, æquo beneficii circuitu, vtramq; tēporis immenſitatem includens, & Poſteros è futuro in obligationem trahit, & è præterito Maiores. Præclara & diuina ingeniorum monumenta, quæ benignioris fati clementiâ flammam publicam barbariei euaſerant, æui inertiâ & iniquitate denuò periclitabantur: tu ſuccurris, & ſeruas; corrigis infauſta & profana tempora; ipſaſque orbe & memoriâ pulſas Litteras vnà cum Libris manu reducis. Litteris inquam, quia Libros. Nam vt ſine animâ vitam, ſine ſanguine colorem non habemus: ita nec Litteras ſine Libris. Hinc infelici illo æuo, cùm furore quodam Barbarica ſęuitia Bibliothecas demolita eſſet, facilè meliores omnes artes aboleuit: ſed poſtquam tempeſtas illa ſedata, & cura aliqua Librorum aut veneratio rediit, mox ſpirare Litteræ & viuere cœperunt, Primus tamen ille flos & vigor perierat: &, velut poſt ſonticum aliquem morbum, pallor etiam & languor; & vterque morum ac diuitiarum intemperie productus. Vnde

remedium, nisi ab iisdem Libris? imò nisi à te Illustrissime & Reuerendissime CARDINALIS, quem in Sacro illo & purpureo fastigio eminere Deus voluit, vt mortales reliqui, amotis vitæ pariter & doctrinæ ineptiis, tuo exemplo atque etiam beneficio agerent saperentque ad antiquam normam. Ita loquor, tuo; & illorum quoque, qui publico titulo & prœmio tui erunt, & venerāda Virtutis sapientiæq; volumina, publicè à te dicata siue dicāda, euoluent; imò qui scribent ipsi, & ingenio, voce, stilo, tuū, & Litterarū nomen propagabunt. In vrbe tuâ veternosum etiam ingeniorum silentium est, an fuit? & velut in altâ melioris Doctrinæ nocte, somno & sopore omnia occupata: tu aureis quadrigis diem Musásque reuehis, & purpureâ Dignitatis tuæ luce bonas omnes artes circumfundis, & bonas omnes mentes. Miraris ipse: & sic tamen sub adspectu tuo se artes mentesque, depulso inertiæ iugo, attollunt eriguntque; & faustissimis Famæ auspiciis prouectæ, prisca libertatis ornamenta in nouâ BIBLIOTHECA, nouoque MVSE'O sumunt. O' & regium hoc vetusque institutum! ò sacrum domicilium doctis scriptionibus, & Recitationibus exstructum! doctis clarisq; hominibus destinatum! Abeant igitur amusi & obscuri, quíque tumidâ persuasione pleni iactant se in vmbris. Abeant inquam, & obscurum nomen ignobilis doctrinæ latebris muniant. Pueris placere in procliui est; & à rudibus plausum ingenii quouis colore impetres. Qui doctus, qui bonus es, prodi. Prodi inquam, vt frontem

tem

tem animumque magnus ille censor noster inspiciat, ille doctus, ille bonus, qui securo iudicio Famæ sententiam laturus est,

An dignus venias Ederis, & imagine macrâ:

imò an dignus titulis prœmiisque, neglectę aut spretæ quibus Litteræ vindicentur. Nihil humile aut plebeium cernis. Humilis autem ille & plebeius, quem prœmium ad Virtutem, ad Litteras lucrum pellit. Et tamen prœmium cum Virtute, lucrum cum Litteris Illustrissimus noster proposuit, vt plebeia etiam ingenia excitaret; imò emendaret: vt à pueris ad viros Remp. Litterariam transferret. Nam profectò quid potest ineptius? pænè ad crepũdia fastus & ignauia seculi Musas relegarunt. Sic merus in ludo ludus est; discitque iuuentus nostra primas artes, vt deserat. Aliò Parentes vocant, Magistri ducũt, transuorsum ad diuitiarum studia & ambitionis. Sed vtrique stultissimi, quòd à verâ laude & Virtute auertãt. Sic magnis, sed vanis postquàm votis animus iuuenilis intumuit, prima & cruda elementa in quæstum confert, totus in eo,

Vt Iuris nodos & Legum Aenigmata soluat.

Siquis subductum à multitudinis errore animũ, meliori cultu ornare instituat, & ad exemplum æui melioris (bonæ Musæ!) naufraga vbique studia trahẽs, etiã inter suos tãquàm alienus errat. Forum ingreditur? vnus è plebe est: curiam? cum plebe: templum? infra plebem. Iam domi nisi patrimonio lautus, videri possit & forum, & curiam, & templum inuenisse.

Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicunque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit:

Sed quietem ſuam priuatim, dignitatem publicè in Muſéo inueniet publicus ſimul & priuatus. Hîc ſcribet quiſq; , panget quiſque, altum ſecurumque otium nactus; & ingenii ſui monumenta ſupra inuidiam & malignitatem põnet. Me miſerum! quod malum nomino? tetrum, tabificum, & quod veneni ſui auram circum me exhalat. Quiſquis es frontem caſtiga ſuperciliose, & virus linguę purga. Nõ eſt Philoſophus, qui faſtu vultum ſubrigit: non eſt vir bonus, qui malè adfecti animi amaritudinem in bonos euomit. Te, & tuos noſce; meliores, doctioreſque reuerere. Vtrique extra ordinem tuum, & ſupra ordinem tuum ſunt; & nunc magis erunt, cùm publico iſto Muſarum ſacramento liberam in lucẽ ſe diffundẽt. Magnum meherclè nacti ducem ſumus & auſpicem, qui illuſtri exemplo glorioſa omnis Doctrinæ & Virtutis ſigna explicuit.

——*Sequimur te ſancte Deorum*: ſequimur, & priſcam Litterarum libertatem atque gloriam ſtilo voceque adſertum imus, malis artibus labefactatam. Ego inter primos, Illuſtriſſime & Reuerendiſſime CARDINALIS, qui primus æterni conſilii tui conſors, Bibliothecã, & Muſéum glorior promouiſſe. Sed tu nunc conatùm meum foue, Viroſque iunge, qui nouo Honoris prœmio inſigniti, ſupra plebem locati, Muſis, Famæ, tibi operentur. Sic viue, & ſceptra aliquando cape,

—quæ mundi valeant euoluere curas.

DIXI.

Nobilißimæ stirpis & Indolis

CAROLO BORROMÆO,

STVDIOSÆ IVVENTVTIS Principi.

ORnare litterario munusculo nomen tuum pridem volui CAROLE BORROMÆE; *& ingenium honoris quodam stimulo ad pulcherrimarũ artium cultum excitare. Vtrumq; nũc facio, nominis, & ingenii caussâ. Orno nomen; etsi familiæ titulis, & imaginibus ornatum: excito ingenium; etsi industriâ, & vigore suo excitatum. imò verò ornor ipse, & excitor ad amorem familiæ, atq; tui. Sed vt illa splendorem suum: sic tu bonam mentem constantissimè serua; & rectum ad sapientiam iter. si facis; inter lumina tu quoq; familiæ atq; vrbis eris, & magnum illum* CAROLVM *nobis, imò* FREDERICVM *hunc nostrum aliquando reddes. Sed facis, eris, reddes; vt hoc initium est, probum, rectumq;. Qui nescit viã ad mare, amnem sibi comitem quærit; qui ad Philosophiã, litteras. Has amplexus es? his peruenies; & peruenies, quia amplexus es. Fastum, an stultitiam? illorum ego ridere soleo, qui vt primùm sapientiæ limina attigerunt, inferiores litteras seuero, & plus quàm philosophico supercilio spernunt. Sed profectò faciunt illi,*

quod nemo Antiquorum; & horridum incultumq; ingenium scientiæ ineptâ persuasione inflant. Quod si mentem ad amœniores Musas per interualla reflecterent, linguam stilumq; eloquio irrigarent; non iam sterilis sapientiæ labor esset; non inanes opinionũ vmbræ mentes eruditione vacuas obsiderent: Sed haberent continuæ scriptiones, & rixæ doctrinæ aliquem fructum. Etenim instrumenta quædam Philosophiæ humaniora studia sunt; paranda, & cõparanda priusquàm ad Philosophiam accedis, in manu & mente habenda continuò, postquam accessisti. Negant Medici sine neruis hominem ambulare posse: ego sine Grammaticâ, Rhetoricâ, Dialecticâ Philosophum philosophari posse. Ambulet quantum velit, manum mentemq; vexet quantũ velit, semper rudis, semper infans erit. Philosophiæ autem fructus non claudi scholis, aut ad solius contemplationis vmbras protrudi debet; sed in Remp. feliciter se diffundere, Pacem, bellumq; complecti. litteris enim & disciplinis ingenium excolimus; alius, vt Remp. temperet, populum regat, leges stabiliat; alius, vt Iustitiam administret, lites discernat, virtutes foueat, scelera castiget; alius, vt se ipsum munere, & nomine boni ciuis dignum faciat; domum, familiámque moderetur. Iam verò Sacra ipsa, quibus te modestiæ Genius destinauit, etiam Philosophiæ fulcro ex parte incumbunt: nec eminere in illis quisquam honoris infulâ potest, nisi per Sapientiæ, & compositæ vitæ gradus scandat. Sed tu scandes, & bonis quoque litteris innixus, facilia, & expedita vota tuorum reddes. Iterùm dico, magnum genus tuum est; & tu in omni vitâ magnus eris, si à

genere

genere non deflectes; magnum ingenium tuum est, & tu in omni disciplina magnus eris, si à cultu meliorum litterarum non recedes. Atque litteræ istæ etiam cognitionem linguarum trahunt, Latinæ, atque Græcæ. Nam qui Latinâ contenti interpretationi fidunt, verum bonarum scientiarum vultum numquam discernunt. Cæterùm difficultatis opinio quadam hominum mentes inuasit, & a Græcæ linguæ cultu abstraxit. Opinio inquam, leui, faciliq; istâ Oratiuncula oppugnata; ut in re facili, facilis quoque Suada fuit. Tu lege, & admute in animum pauca ista verba, & momento temporis scripta, quæ nomini, ingenioq; tuo inscripta cæteram iuuentutem adliceant. Me verò Nominis Ingeniiq; tui cultorem seriò existima. Mediolani XII. *Kal. Decemb.* ∞.IↃCIV.

ORA-

ORATIO VII.

DE FACILITATE LINGVÆ GRÆCÆ:

Ad Pubem Palatinam.

MAGNA inter mortales vis, & tabes opinionis est humana & diuina veneno suo infestans. Nā si rerū naturam extra nubē contemplemur, longè diuersa, quàm se per vanas, falsasq; species ingerit, conditio, & vt ita dicam, facies vniuersitatis sit. Sed mens opinione corrupta circa Deum olim lusit, in Religione, vitâ, scientiis sectas distinxit: quod bonum, malum; quod malum, bonum; quod facile, difficile; quod difficile, facile persuasit. Hæc illa, quæ cùm mores, leges, & inprimis linguas variauerit, aut miscuerit; Græcam illam, Disciplinarum omnium matrem, tamquàm difficilem, morosam, ingeniorum torturam ex vsu communi, & pænè è Scholis ipsis, librisque eiecit; Vernaculis, vt ita loquar, Disciplinis Artibusq; contenta. Neque recens hoc malum: olim Attica illa, toto terrarum orbe ciuis, damnata & eiecta, vix in orbe inuenit exilii locum. Nam in illo Musarū lapsu, & rerum, vt ita dicam, Metamorphosi, cùm meliores linguas Barbaries imminuit, Mortales, siue nouitate exotici sermonis, siue opinionis fuco il-

ctò illecti,& fascinati,in planam,facilem, & velut exlegem loquendi rationem desciuerunt. Ita quam semel quisque desuetudine & incultû linguam spreuit,cœpit difficilem iudicare,quòd non cum ipso materno lacte imbiberet;sed arte & industriâ adquirere cogeretur. Quæ hominũ ignaua opinio,longioribus æui fibris nixa,eousque succreuit adoleuitque, vt iam quidem nihil difficilius linguâ Græcâ iudicetur. Quàm arduum sit, tam perniciosum & pertinacem ex hominum mentibus morbum euellere,non ignoro:& tamen,vt euellam, DE FACILITATE breuiter disserere, & optimam pulcherrimamque linguarũ grauissimo crimine liberare constitui. Vos,Iudices,Auditores,estote; & dum caussam hanc disputo, æquo animo rationes meas excipitote. Vt morib. & instituto:ita linguâ, quæ ab instituto est,distincti,& secreti iã olim Mortales fuêre, sicuti variè per orbem hunc terrarũ sparsi. Voluit enim quæq; seipsam natio, eâdem tesserâ à reliquis separare,quâ vniuersum genus à brutis distinguitur. vnde septuaginta illæ duæ linguæ exstitere,aliæ aliis magis celebres & cultæ: vt populi fuerunt. Septem præcipuæ æstimatæ sunt: Assyriorum, Arabum, Ægyptiorum, Hebræorum, Græcorum, Latinorum, Dalmatarum. cumque aliæ alias virtutes sibi vindicent, nobilitatem, nitorem, grauitatem, volubilitatem,diuinitatem; vna Græca, facilitate commendatur. Vide veteres, vide nostros, quicumq; studio & industriâ cognitionem huius linguæ nacti, quàm exiguo tempore, quàm facili negotio Græci euaserunt? Non secula,

non lustra, non anni absumpti; sed pauculi aliquot menses ingentem parui laboris vsuram dederunt. Ad exempla priuata cur descendam? Sanè nisi facilis hæc lingua, non tàm facilè in omnes se gentes diffudisset: quarum vt sacra; ita linguam difficillimè moueas. Ingenium autem humanum pronum & præceps ad ea quæ facilia sunt. Sed tu iam quisquis es, & fidem verbis negas, galerum cape; ac omnes illas partes compendio mecum lustra, quæ commercium Græcæ linguæ è Græciæ finibus circumquaque admiserunt. Ecce Græciam magnam; ecce tot insulas; peninsulas; & amplissima regna, Peloponesum, Cyprum, Cretam, Asiam minorem, Macedoniam, Epirum, Mysiam, Illyrium, Thraciam, Dalmatiam, Syriam, Ægyptum. Longum iter sit, si subsistam in singulis, & ortum, progressum, vigorem linguæ inuestigem. maiori verborum, & vt ita dicam, viatico opus, quàm instruxi; temporis, quàm accepi. Planè errandum cum Vlysse foret. Neque tamen vniformis aut simplex lingua vbique mansit; sed Genium mutans, præcipuis se Græciæ populis singulari dialecto commendauit. atque ita vario quodam ornatu compta, velut in publicum se efferens, totum pænè orbem, non peragrauit modò, sed insedit. Lubet vicina vestigia legere, imò venerari, & in Galliâ, Germaniâ, Italiâ cursim Græciam libare. Olim quidem Celtarũ sacerdotes Iulius Cæsar libro VI. de Bello Gallico refert, *in publicis priuatisq́ rationibus, Græcis litteris vsos.* Si in publicis, sanè diffusum & in pretio hoc idioma: si in

priuatis, familiare & in vsu erat; scilicet ob Facilitatem: & Gallicæ linguæ liberaliter se posteà miscuit. Iam verò Germani in cultu & vsu hanc linguam habuerunt, etiam postquàm Imperium nacti sunt. Quid plebem sector? & tamen in hac fæce flos quoque Græcanicæ linguæ fuit. Illustria exempla proferenda sunt: & cuius illustrius, quam ipsius Imperatoris? Otho II. bello quod in Apuliâ cum Saracenis, Græcisque gerebat, insidiis interceptus, Græco sermone hostem fallens, leui lytro tamquam Græcus elapsus est. Et in Germaniâ non vocabula tantùm, sed loca quàm plurima nomenclaturam Græcã reddunt. Nos verò Belgæ, qui vicini, & affines, vt ita dicã, Germanis sumus; annon habuimus olim hanc linguam, & reliquias quoque hodiè retinemus manifestas. In Italiâ denique ipsâ Latinitatis sede, pallium Græcanicũ sermones omnes olim vestiebat. Publica, priuata, seria, ludicra inspice; inuenies. Quin deliciæ ipsæ & libidines Græcæ fuêre, postquàm sequior ille sexus linguam Attico, & peregrino fuco tinxit. Iuuenalem audite:

Nam quid rancidius, quã quòd se non putat vllã
Formosam, nisi quæ de Tuscâ Græcula facta est;
De Sulmonensi mera Cecropis? omnia Græcè,
Cum sit turpe magis nostris nescire Latinè.
Hoc sermone pauent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. quid vltrà?
Concumbunt Græcè.

& paulò post:

——*Lasciuum interuenit illud,*

Ζωὴ & ψυχή. Quid censes, eousque vsum Græcæ linguæ penetrare potuisse, nisi facilitas viam strauisset? Iam verò hæc vernacula vestra non minùs Græca, quàm Latina est; ex his potissimùm velut elementis conflata. Ego Belga sum, ac timidè me linguæ vestræ arcanis misceo: tamen linguæ caussâ, in vno, alteróue exemplo rem noscite. Vos purgare, *nettare* dicitis: Græci abluere, νίπτειν. Vos bellum, *guerra*; Græci arma, χέῤῥον. quid verò bellum nisi vsus & negotium armorum? Vos sceleratum siue improbū, *Furbo*; Græci inhumanum, φύρβον. scelera autem ab inhumanitate prosiliunt. Vos verborum iactantiam, siue minas, *Braueria*: Græci vaniloquium, Βλαβυρίαν. Vos coactionem, & violentiam *Angheriam*: Græci pariter ἀγγαρίαν. Sexcenta huiusmodi sunt, & scriptores vestri adnotarunt: vt mihi quidem Græcè loqui videamini, cùm difficultatem accusatis. Sed Facilitatem, vt Linguas omittam, Artes ipsæ & Disciplinæ agnouerunt, quæ Græcè potissimùm tradi & doceri, quò se faciliùs humano generi insinuarent, felicibus illis seculis voluerunt. Sic igitur omnium scientiarum coloniæ è Græciâ per orbem vniuersum ductæ, velut riui ex vbere aliquo fonte: & ex hac linguâ Artes, Præceptiones, & ipsa elementa omnis eruditionis copiosâ scaturigine manarunt. Enimuerò, qui difficilem hanc linguam faciunt, aut superbiam suam ostentant, quasi in re magnâ magni; aut ignorantiam excusant, ne in re facili rudes videantur. Quòd si vsus adesset, non minùs puerulï nostri Græcè, quàm Latinè balbutirent. Olim qui-

quidem ita fuit, & Græca, vt Quinctilianus ſcribit, *cum Latinis non tantùm coniungebant pueri; ſed à Græcis etiam auſpicabantur.* Nunc vero corrupti ſeculi vitio, aut tardè, aut numquam ad Atticos hos fontes itur. alios lucrum ad tumida neſcio quæ ſtudia, alios otium ad voluptatis præcipitia peſsùm trahit, non minùs linguæ quàm animi omni cultu deſtitutos. Etenim ſi ſepoſito opinionis onere, iuſta iudicii lance rem examinemus, quid graue obſecro, aut tædioſum? Rudimenta, aut præcepta? at magna ex parte cum Latinis explicantur. Quod de animis noſtris Plato, obductos corporibus reminiſci eorum, quibus multò antè diuinitùs fuiſſent imbuti: id Latino homini euenire dixerim Græca diſcenti; non noua ſumi, ſed reſumi vetera, & pulſa obliuionis nebulâ, intelligi. Quid igitur graue, aut tædioſum? Mutatio, aut varietas Dialectorum? at hæc ipſa ornamenta linguæ ſunt; recreant, non fatigant; alliciunt, non abſterrent, haut aliter quàm in dubiâ cœnâ ad noua fercula ſe feſſa deliciis gula laxat. Quemadmodum in picturâ varietas colorum oblectat oculos; cùm tamen difficiliùs vno colore pingamus: ita linguam ipſam Dialectis diſtinctam, ſuauiorem; deſtitutam ſimplicemque, difficiliorem experiare. In exemplum linguam Latinam vocemus. Quid igitur? facilis iſta, an difficilis? profectò difficilis. Simplex, an varia? profectò ſimplex, æqualis, vniformis. Non igitur in varietate difficultas eſt. Sed fortaſſis ad Pronunciationem ducor. Ego verò hanc quâ vtor, & ad quam

hortor, veterem Græcæ Linguæ Pronunciationem aio facillimam & suauissimam fuisse, & iam esse posse, si corruptelam, superioribus seculis natam, deseramus. Nam quæ per Deum ista ratio est, in vnius iota exilem & femineum sonum tot vocalium & diphthongorum varietates intrudere? ε & αι confundere? omnia obscuritate & amphiboliis implere? Audacter dico, defecisse pulcherrimæ linguæ vsum, postquàm noua ista & adulterina pronunciatio introducta. Nunc enim si Græcè loquimur, ne peritus quidem intelligat; si docemus, imperitus planè non capiat; vt mutam mortuamque linguam iure dixeris, ad solius lectionis silentium redactam. Reiice has nebulas, & veram veteremque pronunciationem admitte, vt Facilitatem inuenias. An fortassis copia impedire, aut onerare ingenium cuiuspiam possit, & illa diffusa tot vocabulorum supellex? Sed tamen copiam & diuitias nemo spernit: & linguæ, vt auri, diuitiæ quædam sunt. Lōgè latéque vocabulorum riui sparsi; sed qui ad principia & fontes suos facillimo compendio reducantur; paucis præceptis colligantur. Etiam dissero? Similis hæc lingua instrumentis quibusdam videtur, quæ laxata & expansa machinam efficiunt, compacta & commissa minuuntur. Itaque eiicite ex animis de Difficultate opinionem; & in hac Scholâ quasi per ludum & otium Litteras Græcas discite; quibus ad solidam, & numeris omnibus absolutam eruditionem conscendatis. In hac inquam Schola, quæ destinatum huic muneri Professorem accepit, vtinam eruditum & exercitatum! cui honorem

hunc

hunc habete, ne à solis puerulis audiatur. Maiores quidē vestri non Latino tantùm, sed Attico etiā lepore imbui voluerunt; vt perfectæ eruditionis & simul famæ exemplum vobis relinquerēt, quod affectaretis. An fortassis post recessum illorum, faciem Natura mutauit, & in veterem linguam noua difficultas irrepsit? Nostra ingenia nescio quæ socordia occupauit, vt ne attollere quidem desiderium ad honesta & egregia possimus; aut si conamur, falsâ difficultatis opinione deterriti concidamus. Ego voueo purâ aut purgata mente simus; & fugientes ex Italiâ Linguas, Musasque, aurâ, studio, industriâ retineamus. Quod si irritum hoc votum meum erit; sequar ipse aliquando Linguas Musasque, & in beatâ Patriâ, inter dulces verosque Amicos, extra strepitum & inuidiam, *Lare secreto* & tranquillo vtar. Dixi.

Illustrissimo Viro

LAVRENTIO POLO,

MAGISTRATVS EXTRAORDINARII Apud Mediolanenses PRÆSIDI.

QVOD *magni Amici mei, & iure Arbitri,* IO. BAPT. SACCI *consilium erat, Illustrissime* PRÆSES, *vt Oratiunculam istam Principi libatam, publici iuris & lectionis facerē; suasit & persuasit virorum optimus disertissimusque* OCTAVIANVS GHILINVS, *Patricius, & I. C. Alexandrinus: qui, vt suum me per ferias istas haberet, & euocauit perhumaniter, & exceptum hospitio, deliciis omnibus perfudit. Ego supprimēdi, aut certè differendi caussas habebam: ille verò edendi. Mox collatis vtrisque, & appensis ad iustam prudentiæ bilancem, seriò animaduerti plus ponderis iudiciiq; penes Amicum, & Iureconsultū esse. Itaq; siue Amico siue Iureconsulto parui, vt ederem: & parui, vt sub Nominis tui patrocinio ac tutela. Taceo meum, imò taceo adfectum in te Suasoris & cultum: ipsum per se Argumentum inuitabat. Munus enim petitur à Principe, cui tu honoris gradu vicinus es; imò cuius pars: & apud Magistratum, cui tu* PRÆSES. PRÆSES *inquam, sed cum fructu, cum laude publica, & famâ: cuius non minùs Virtutem, quàm Doctrinam atq; Prudentiam; non*

minùs Humanitatem, quàm Dignitatem, atq; Maiestatem veneramur. Atqui iure tibi reddenda ratio erat nouæ Petitionis; Oratione ista reddo: proponendi mores, vita, conditio Petitoris; Oratione ista propono. Nam tu quidem vt ipse es, sic tuos omnes esse vis, publicos in publico munere, id est publicæ vtilitati intentos. Ciuilis enim virtutis dignitas, & amplitudo, *vt Plutarchus ait,* si ad domesticas curas, & priuatum quæstum descendat, proculdubiò labefactatur. *Publicè nocet, publico in munere qui rem priuatam agit; & vitiũ Reipublicæ adfert, si in vitio, qui eamdem administrat: vitio inquam Auaritiæ, aut Ambitionis. Ab vtroq; si remotus qui petit, dignum Petitione censeo; & hunc nostrum: nec munus viro, sed virum muneri dandum. Oratio verè hæc mea, velut picta tabella est, & imaginẽ Petitoris mei refert, veram, viuam, atquè adeò animi imaginem, sine fuco aut fraude. Tu inspice Illustrissime* PRÆSES; *& nosce, ama, promoue bonos boni viri mores: me quoq;, etsi facis, qui bonos boni viri mores produxi atq; commendaui. Me; imò Perillustrem* GHILINVM, *qui Editionis, atq; Dedicationis auctor, me tibi producit pariter & commẽdat. Tuus sum, & esse magis cupio, vt videar, imò glorier. Sum, & ero Amore tuo; si vt cœpisti, Ingenii mei frigus calfeceris: videbor, & gloriabor Amore; si Fortunæ meæ crepusculum illuminaris. Signatum mihi geminum hoc votum est, quo & Ingenium, & Fortunam alo, non impedimento, quippe alieno in solo, pertinaciter repressam. Viue Illustriss.* PRÆSES, *vt per te viuam: vale, vt valeam. Alexandriæ Statiellorum, Apud Hospitem suauissimum,* OCTAVIANVM GHILINVM, XII. *Kal. Octob.* CIↃ. IↃC.V.

ORATIO VIII.

PRO RAPHAELE MONTORPHANO,

Scribæ munus in re Fisci & Aquarum PETENTE:

Ad Illustriss. & Excellentiss. Principem

D. PETRVM ENRIQVEZ ACEVEDIVM, *Comitem Fontanum.*

BONI Oratoris officium est, Ciuem bonum bono Principi commendare. Benignitas verò & Prudentia boni principis, Ciuem bonum Munere, aut Dignitate publicum facere, ac habere. Nihil enim tranquillum æquè ac florentem Reipublicæ statum præstat, quàm recta administratio; vt non bonus ille tantùm qui regit siue gubernat; sed illi etiam per quos gubernat. Quia verò & ipse Princeps homo est, nec præsens esse vbique potest, plura in Republicâ munia sunt; & maioris penè momenti quæ minora, ac vicina plebi; ne commixtione & communione populari inquinentur.

tur. Nam qui gradu Principi vicini sunt,& eminent,nisi Naturâ,Metu boni sunt; quia sub oculis Principis, & velut manu. Qui verò inferiori lineâ sedent, & remoti à primo solio, delinquunt facilius, nisi arbitrum animum metuant. Quid miramur? in cælis fit: & citimi isti minoresque orbes à primo motu deflectunt maximè, & naturâ suâ feruntur. In Republicâ tamen qui Ingenio recto est, rectum vbique cursum tenet, scilicet vbique in Republicâ. Tantum est, ad Rempublicam, præsertim inferiorem,Bonos promoueri.Itaque cùm apud *Magistratum Extraordinarium*,morte CÆSARIS REINALDI, *Officium Scribæ*, siue *Cancellarii Confiscationum*, & *Aquarum* vacet, Virumque vocet, qui animo pariter, & ingenio bonus sit, industriâ & peritiâ promptus, plane talem RAPHAELEM MONTORPHANVM Nouocomẽsem, sistere Excellentiæ tuæ, & ducere in petitionis, vt ita dicam, circum ausus sum; vt is, & commẽdatione mea adiutus, & benignitate tuâ prouectus,inter Candidatos *Nominaretur:* candidus ipse moribus, vitâ & ingenio modestus, animo ab Ambitione,& Auaritiâ omni alienus. Fidem publicæ Famæ appello; & his de caussis amare pridem Virum hunc cœpi, consuetudine ac familiaritate eius vti. Amare inquam,& sic commendare; cùm iustum humanitatis officium Amori debeam,& iusto Amori. In Amico igitur me ipse repræsento, in me amicum; vt benignitatis tuæ adfectum non in meum tantùm excipiam,sed in Amici quoque sinum.Scio FONTEM tuum felici scaturigine perennem esse, & liba-

ui. perennem; ſed ſi quis ore puro libauerit, & animo puro. Nam bonis bonus & facilis eſt: & ſicuti è Plinii ſententia, *nigræ lanarum nullum colorem bibunt*; ſic neque nigræ mentes beneficentiæ tuæ capaces ſunt. Hac benignâ Seueritate, & ſeuerâ Benignitate, ſepulta tenebris, aut oppreſſa egeſtate virtus, ad lucem prœmiumq; prouehitur; & in Conſiliis, Tribunalibus, Subſelliis conſpicua, exemplo pariter, & terrori eſt. Etenim vt in cælo aſtra, nunc benigno, nunc minaci vultu lucent ac radiant; ſed à Sole: ita qui dignitatis aliquo ſplendore in oculis populi ſunt, & officio funguntur Palatino, à tua imagine mores accipiunt, rationemque Prudentiæ atque Iuſtitiæ à tuo Virtutum omnium FONTE, velut riuum ducunt. Annon & mei iudicii ſuffragiiq; hæc cenſura? Ego doceo publicè, ſcribo, & Philoſophor: & ſic mores quoque publicos recto & Philoſophico ſupercilio inſpicio ac noto, imò & priuatos, vt publicos faciam: vt producam ſcilicet & commendem Principi, atque Famæ, ſi integri & incorrupti ſunt; premã aut inſecter, ſi praui & infecti. Prauos quidem in multis (vrbium naturali deliquio fit,) integros quoque in multis repperi; id eſt, ſentes tribuloſque in magno & felici campo. Inter flores autem fragrante Naturæ aurâ flos mihi MONTORPHANVS fuit, vir ad Humanitatem, Fidem, Sedulitatem, omnemque Virtutem factus; Patriæ, atque Regi natus. His in publicum dotibus prouectus, laudabilem vtrique operam Manu Ingenioque nauauit. Nam & ſcripſit olim in *Grammatophylacio Sanctiore*, cùm *Actuarii* titulum acce-

accepiſſet : & Regio poſteà Diplomate, tamquàm prœmio promotus, apud *Magiſtratum Extraordinarium* toto decennio *Adiutoris Antigraphiæ Officium in Re Frumentariâ* diligenter & cum laude functus eſt; vt non minùs Integritate quàm Induſtriâ maiorem Dignitatis gradum promeruiſſe videatur. Etenim viri boni, vitiiſque popularibus defæcati , pauci admodùm ſunt; ideoque fouendi & promouendi, qui ſunt: ſed gradatim, & per rectam , aut certè vicinam lineam honorum. Nam qui ſaltu, atque etiam tranſuerſùm ſcandunt, in nouo munere aut Rudes, aut Superbi ſunt, cùm damno atque dedecore Reipublicæ Principiſque. Cum damno, dum mentem inuſitato labore onerant : cum dedecore , dum inſolito honore inflant atque tumefaciunt. MONTORPHANVS verò non minùs modeſtus, quàm accuratus & diligens, apud eumdem Magiſtratum obit munus , & ambit. Honeſtè obit, modeſtè ambit. Ambit inquam munus, loco vicinum, dignitate proximum, functione congruum , denique bonorum omnium votis huic potiſſimum deſtinatum. Quæ cùm ita ſint, te rogo & obteſtor Illuſtriſſime & Excellentiſſime PRINCEPS, publicę Felicitatis cauſsâ, quæ magnâ ex parte à muneribus publicis pendet ; & priuatæ Amicitiæ cauſsâ, quâ ob ſolam Virtutem MONTORPHANO iunctus ſum : rogo inquam & obteſtor , vti virum omnibus ornamentis digniſſimum , voce ſuffragioque tuo inter Candidatos referas, viamq; ad nouum hoc munus aperias, quod fide, integritate, induſtriâ, ſedulitate vniuerſo Ciuitatis conſenſu meretur.

Ego in illum certè finem rogo & obtestor, vt bono officio consuluisse Reipublicæ videar, & viro bono, viro amico benefecisse. DIXI.

Viro Clarissimo

IOHANNI WOVERIO, MVSARVM & GRATIARVM Ocello.

AB eodem Phœbo, IVSTO LIPSIO, amœnioris animi auram traximus, Clarissime & Amicissime WOVERI; & Virtutis Sapientiæq; studio erecti supra vulgum, reflectere ad felicitatis originem vultum cœpimus gratæ mentis. Tu quidem iam luces tuo illo radio, & pulcherrimo EVCHARISTICO ad astra nomen tollens, omnem penè hostientem conatum meum extinguis. O scriptum! quod admiror, quodq; Antiquitatis Genius senescentiam Naturæ inuideat, nisi robore & vigore suo renata in te Antiquitas videatur. Sed benè, quòd, cùm tuam apud Magnum Doctorem nostrum, etiam meam, publicamq; caussam agis. Debemus illi: & iam tibi, qui ingenti animo meum publicúmque no-

men sustines, stilo luis. Gratias tu illi; nos tibi scribimus, quòd scripseris: bis scribimus, quòd tam arduo Suadæ patrocinio, tā benigno Pietatis adfectu. Sed vtroque isto exporrecta semel apud ipsum Rei Litterariæ Principem frons nostra, iterùm tuo obtutu laborare verecundiâ cœpit; quòd, cùm effugisse obligationem visi, mutauerimus. Quid igitur? rationes omnes ad te vertimus; & in Patrocinio beneficium; in Adfectu honorem agnoscimus, quo erecti, & aucti. Sed cur non reddimus? Ego conor, alii facient; téque Optime & Doctissime WOVERI, LACONISMI *hoc* ENCOMIO, *quem Amicum priuatim, Benefactorem publicè scribo & saluto. Mediolani, VIII. Kal. Decemb.* ∞.IↃC.V.

ORA-

ORATIO IX.
DE LACONISMO:

Ad Præsidem, & S.P.Q. Mediolanensem.

IN rerum vniuersitate nihil constanti mortalibus sententiâ acceptum est. mens humana opinione delusa, flectit vbique ad peiora iudicium; & nouandi cupida, ne in optimis quidem potest consistere. Sortem, Fortunam, Vitam cuiusque taceo; Artes ipsæ eodem errore inquietantur: inter Artes Eloquentia, quæ in plures sæpiùs mutata formas, aliis pressa & circumcîsa, aliis copiosa & redundans, aliis alia culta. Etenim quot gentes, imò quot homines, tot pænè species dicendi; quasi ad naturam cuiusque. Ac certè, vt in vultu, sic in sermone animus est: in vultu videas hominem, audias in sermone; ac tum demùm rectè videre videare, cùm audis. Socratis laudata vox est: *Loquere, vt te videam.* Quid enim? lætus & effusus es? etiam sermo: serius & seuerus? pariter sermo. Vt quisque animum: sic sermonem habet. & *in oratione*, cum Quinctiliano dicam, *si species intueri velis, totidem pænè reperias ingeniorum, quot corporum formas.* Singulas quis distinguat? Satis, suo quemq; populum dicendi Genio censere. Nam etsi in singulis mortalium diuersus aliquis chara-

character : vnio tamen & communio multorum, vt iiſdem legibus moribusque : ita & Eloquentiâ conſtat. At longa quoque hæc via, Aſiam, Græciamque veterem peragrare. Malo in Eloquentiâ populos, quàm in populis Eloquentiam notare. Primâ origine, velut ab ipsâ Naturâ, breuis & ſuccinctus orationis habitus, Atticorum nomine celebratur : mox quæſito verborum apparatu apud Aſianos intumuit, & in ſpeciem vires ſparſit, velut arbor ramos. Dicendi Magiſtrum audiamus, lib. XII. cap. X. *Antiqua quidem illa diuiſio inter Aſianos, atque Atticos fuit; cùm hi preſſi & integri; contrà inflati illi & inanes haberentur.* Etiã diſtinctiùs? *Attici limati quidem & emuncti, nihil inane aut redundans ferebant: Aſiana gens tumidior alioqui & iactantior vaniore dicendi gloria inflata eſt.* Inter duas iſtas formas mediæ plures natæ & notæ. quâ luxurie Aſianum vitium Athenienſes, Atticam Virtutem Lacedæmonii induerunt. Vitium certè, πολυλογίαν; Virtutem, βραχυλογίαν puto & interpretor, quarum alteram Plato in Athenienſibus, alteram in Lacedæmoniis agnouit. Abſit Vitium; laudare Virtutem aggredior. ipſum inquam, bono Suadæ auſpicio, ORATORIVM LACONISMVM. Et nonne LACONICE? Argumentum ſuadet, Auditorium vrget: obſequar, & quam quiſque in omni materie poſcit, dabo Breuitatem. De Moribus, de Republicâ, de Naturâ rerum dicat alius; niſi breuis, odioſus eſt. At meum, hoc ipſum, quod in omni argumento placet, argumentum eſt. Dicam breuiter, quia vultis; imò copioſè, ſi vultis. Integrum

Suadæ adhuc obsequium est: siue πολυλογεῖν libuerit, magnâ verborũ congerie in molem surget Oratio: siue βραχυλογεῖν, moderatâ se frugalitate contrahet. Etsi enim conceptæ dicendi quędam lineæ sunt; inducere tamen formam potero, quâ quisque capietur. Quid moror? LACONICA capietur. Itaque dum laudo Breuitatem, compendio verborum vtar, vt breuiter laudare videar. Magna oratio magno tœdio constat. Breuem benignamque date operam aurium, & experiar an in LACONISMO Eloquentia esse possit. Multa paucis dicere, sed cum sale & venustate, Laconicum est. βραχυλογίαν alii; sed πολυνοίαν, quam Cretensibus Plato tribuit, rectiùs appellârim. Lacædemonii namq;, vt auctor Plutarchus Lycurgo, *Imbuebãt pueros, vt oratione vterentur, quæ acrimoniam haberet mixtam venustate, & multũ sensus paucis verbis complecteretur.* Breues igitur erant, sed viriles & arguti: eloquentes erant, sed quemadmodũ à moribus fucũ abesse & corruptelam, sic à sermone voluerunt, animo potiùs quã linguâ diserti. Et verè diserti, si Eloquentiam, non Loquentiam æstimemus. Ipsa verborum parsimonia facunda & fœcunda est, cùm res melioris sententiæ semine producta, rore irrigata. *Quid enim est tam furiosum*, vt Cicero ipse scripsit, lib. 1. De Oratore, *quam verborum vel optimorum & ornatissimorum sonitus inanis, nullâ subiectâ sententiâ, nec scientiâ?* Imperitiam dicentis inanis illa copia arguit: & longâ periodo circumducta vox errat, vt sermonis improprietatem adfectata periphrasis suppleat. Quod si

recto

recto orationis tramite cogitata prosequamur, breuis & compendiosa Locutio sit, recta & robusta Elocutio, vtraque plana & perfecta. Tumor verò ille, & exultans verborum audacia, elumbis, eneruis, inepta est. Nam, vt Antiqui existimant, cùm Græci sermonis vsus in proximas Asiæ ciuitates influeret, Facundiæ exemplum ignaros traxit. Sic Græcâ laude capti Asiani, rudi adhuc linguâ Eloquentiam adfectarunt. Quid fit? Ea quæ propriè signare non poterant, circuitu cœperunt enunciare. in quo defectu, velut virtute, posteà perseuerarunt. Hæc origo, imò hæc natura profusæ dictionis: quam siquis stilo aut voce iactat; is ipsam imperitiam, papauere & sesamo sparsam. Quanto meliùs, breui verborum ambitu proferre animi sensum! proprietatem & simul nitorem sequi. Proprius sermo, cùm nitorem habet, perfectus est; & ab omni Antiquitate circa significationem munditiæ laudantur. Ad verò Tullius in Bruto scribit, *Lacedæmonium nullum fuisse Oratorem.* Ego, *Oratorem aliquem fuisse Lacedæmoniũ.* Spreuit dicendi lasciuiam Spartana seueritas, sed frugalitatem Spartanam, cùm iam Athenienses in tumorem surrexissent, plures è reliquâ Græciâ; & posteà è Latio, amplexi. Inspice Oratorum seriem, inuenies. Apud Græcos, Philistum Syracusium, ipsum Thucydidem, Lysiamque. Apud Latinos, Catonem, Gracchos, Sallustium, Tacitum: &, si ad nostrum hoc æuum te flectas, virum æternum & incomparabilem IVSTVM LIPSIVM, qui mirâ stili munditie, ingenti robore, prisci Laconismi grauitatem reduxit.

Breues igitur isti omnes, nomine Attici, reipsâ Laconici, laude perfecti. Quid ni? Lineam rectam Geometræ definiunt, *quæ inter duo puncta breuissima est:* sic recta illa Orationis norma, quę breuissimis paucissimisq; verborũ spatiis extensa est. Contrahe, contrahe vagum illum liberumq; linguæ cursum, &, si laudem Oratoris ambis, collecto spiritu, multa non multis effare. Etenim in ipso viro vis compacta fortior: pariter in oratione. Virum autem, Oratorem volo; nec maturum solummodò, sed robustum. Breuitate erit, quæ ipsa Orationis perfectio est. Imaginem non magnitudo, sed symmetria commendat: Eloquentia verò, quid nisi animi imago, siue character? atqui hic non minùs coactâ periodo, quàm productâ plenus est. imò verò ipsa periodus, quid nisi orbis est? Sed orbis tam exiguo, quàm immenso circuitu perfectus est. Asiani nostri nunc quidem in angustiis sint, nisi ad tria Dicendi Genera confugiant. quâ, velut antiquâ diuisione, sterilem LACONISMVM à floridæ laudatæque Eloquentiæ ditione seiungunt. Iure, an armis agam? Ius Spartanum rigidum est, cauete: arma seuera, cauete. Quid igitur? Pro iure & armis LACONISMVS erit. Breuitas accusatur, oppugnatur. quo colore? quo telo? trigemino, è triplici pharetrâ siue formâ dicendi, *Exili, Temperata, Grandi.* Sed obsecro, annon Exilis oratione, si velit, Lacon meus sit? consenties. Annon Temperatus? dabis. Sublimis, inquies, & altus quomodò erit? vt Asianus ille tuus, Exilis, aut etiam Temperatus. Genus Infimum in copiâ agnoscis: ego Sum-

mum

mum in Breuitate. Militiam ſi intuemur, non turba, ſed diſciplina ad victoriam facit: non quàm multi, ſed quàm boni pugnent. Etiam in Eloquentiâ Victoria eſt, quam *Perſuaſionem* vocant, non multitudine, ſed robore & vi verborum obtinenda. At aures meas, inquies, non implet ſiccus ille & coactus ſermo. Non quid aures, ſed quid animus capiat, diſpice. Etenim quæ duæ laudatæ orationis partes ſunt, *Numerus*, & *Ornatus*, in Breuitate locum propriè habent. Auſim dicere: Breuitas ipſa, vis & venuſtas mera eſt. ſed in Numero vis, in Ornatu Venuſtas. Confer vtrumque & examina. Numerum non copia, ſed copulatio vocum ſiue ſtructura gignit; adeoque in paucis iuxtà plurimisque inuenitur. *Apud Aſiaticos numero ſeruienteis*, vt grauiter Cicero cenſuit, *inculcata reperias inania quedã verba, quaſi complementa numerorum.* Iam verò Ornatus, non in totâ ſolum periodo, ſed in verbis ſingulis. Ipſamque Rhetores βραχυλογίαν inter Schemata retulerunt. Vnum Fabium laudaſſe abundè ſit, lib. VIII. cap. III. *Meritò laudatur Breuitas integra; ſed ea nihil præſtat quoties nihil dicit, niſi quod neceſſe eſt.* βραχυλογίαν *vocant, quæ reddetur inter Schemata. Eſt verò pulcherrima, cùm plura paucis complectimur. quale illud Salluſtii eſt: Mithridates corpore ingenti, perinde armatus. Hoc malè imitantes ſequitur obſcuritas.* Neque tamen vnius generis Breuitatis hic ornatus eſt: *Modo, Acumine, Emphaſi, Apoſiopeſi* variatur. quæ omnia in eo poſita ſunt, vt plus ſignificet oratio, quàm dicit; atque etiam id, quod non dicit. O vim! ò venuſtatem! Nume-

rum quæris? pugnare Laconismo liceat: Ornatum? delectare. Et tamen vtrumque distinctiùs videamus. Pugnare quidem, ex Fabii sententiâ, lib. IX. cap. IV. Nam *vbicumque acriter erit & instanter pugnaciterque dicendum, membratim cæsimque dicemus. Nam hoc in Oratione plurimum valet. adeoque rebus accommodanda compositio, vt asperis asperos etiam numeros adhiberi oporteat; & cum dicente aque audientem inhorrescere.* An verò delectare? In Catone, vt iam Græcos omittam, manifestum. Huius enim Cicero ipse, De Claris Oratoribus, ornatam & aculeatam Breuitatem laudans, *Neminem*, inquit, *antepones Catoni. Ornari orationem Græci putant, si verborum immutationibus vtãtur, quos appellant* τρόπους: *& sententiarum orationisq́; formis, quæ vocant* σχήματα. *non verisimile est, quàm in vtroque genere & creber & distinctus Cato.* Quomodò igitur, eiusdem Ciceronis sententiâ, *in eâ est hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis*; Quiàne (verba sunt è Præfatione Paradoxorum) *Minutis Interrogatiunculis, quasi Punctis, quod proposuit, efficit?* At hocipsum nec fieri sine Robore, nec sine Ornamẽto potest. Sanè, vt γλυκυπικρία quędã vini grata palato, quia pungit: ita orationis, quia acrimoniâ perfundit animum & excitat. Flaccida illa & vieta verba, ipsâ mole molesta sunt. & palatum melioris mentis à primo pinguis vnctęq; orationis gustu nauseat. Tamen hoc iam vitio pascimur, ac loquacitate corrumpimus indolẽ, & Eloquentiã ipsam eneruamus. Quàm verè Petronius! *Nuper ventosa isthæc, & enormis loquacitas Athenas ex Asiâ commigrauit, animosq́; iuuenũ*

ad ma-

ad magna ſurgentes, velut peſtilenti quodam ſidere adflauit; ſemelque corrupta Eloquentiæ regula ſtetit & obmutuit. Bona Suada, quàm appoſitè in noſtros mores! Magno hiatu ampullas proiicimus, ac tum demùm numeroſè ornateque ſcripſiſſe videmur, cum totam paginam periodus implet. Lepidi Oratores! & tamen, neſcio quâ audaciâ, Tulliani. Scilicet quia verba, & tumorem habebimus; quia copiam, vitreamque fractam. Quod ſi Oratorem effrenata loquacitas facit, non in Scholâ aut Curiâ, ſed colendam in Gynæcéo Eloquentiam putem. Hîc *mulſa* audias, hîc *laterculos,*

Seſamum, papaueremq́, triticum, & frictas nuces.

Mulierum ſcilicet hoc vitium, hæc ſupellex, vt *nullo rerum pondere innixa* (verba Agellii vſurpo) *verbis humidis & lapſantibus diffluant.* Mulierū? imò & Virorum, qui quidem innato prodigæ effrenisque linguæ morbo ſexum malè mutant. Odioſum genus! quos viros videas, mulieres audias: imò malum genus! niſi in præſidium culpæ Natura vocaretur. Sed corrupta Natura, quæ ſolutâ fluit linguâ: corrupta lingua, quæ colluuione verborum æſtuat. Non circumducam Oratorem meum: à ſeipſe, & in ſeipſe, Breuitatem diſcet. Etenim Artem Naturæ pediſſequam eſſe è decretis Sapientum ſcimus: vnde paria vtriuſque veſtigia ſunt, premenda pari pede parique motu, ſiquis rectum iter amat. cùm verò loqui altera, eloqui altera doceat; iiſdem pænè lineis vtraque circumſcripta, per eamdem ſemitam procedit. Quid igitur? Artem ſequeris, & rectam dicendi formam? Ad

Naturam transi. hac duce adsequêris. Sic Eloquere, vt loqueris; breuiter, argutè, neruosè. Nemo propitium Artis, vt sic dicam, numen sibi fecerit, si Naturam offendit. At verò Naturæ præceptum est, copiosam mentẽ paucis & constrictis velut verbis efferre. Vide ipsam corporis tui machinam: *Petulantiæ verborum coercendæ vallum esse oppositum dentium* inuenies; *vt loquẽdi temeritas non cordis tantùm custodiâ atque vigiliâ cohibeatur; sed & quibusdam quasi excubiis in ore positis sepiatur.* Vt igitur Sermonem qui congerie laborat, bona Natura non fert: sic nec Ars ipsa Orationem. Etiam dico? Lex Rhetorica Aptam dictionis seriem exigit: apta non erit, nisi breuis sit. Etenim si per se res magna de quâ agitur, etiam paucis prolata verbis magna erit: si exilis & parua, vocis lenocinio amplianda non est. Agesilaus, laudante quodam Rhetorem, quod magnâ dicendi facultate res paruas exaggeraret: *Ego verò ne sutorem quidem*, ait, *bonum putem, qui magnum exiguo pedi calceum induat.* Vera comparatio. Nam rei siue sententiæ vestem Natura Orationem fecit: si vestem; cur laxam potiùs, quàm concinnam ames? Nolo, hominem sarcina vestiat: sed nec animi teneriorem sensum. Togam nemo sumit, vt baiulet. odiosus ornatus, si onus est. Et tamen in prodigo Orationis ambitu rugæ, & syrmata, id est, onera quædam verborum sunt, quæ delicatæ teretesque aures non sustineant. Quinctilianus eadem imagine *dat tẽpori*, lib. XII. cap. X. *ne crassa toga sit, non serica; ne intonsum caput, non in gradus atque annulos totum comptum: cùm in eo*

qui

qui se non ad luxuriam ac libidinem referat, eadē speciosiora quoq; sint quæ honestiora. Lacedæmonii Cephisophontem, quòd iactaret se de qualibet re totum diem posse dicere, eiecerunt; boni Oratoris esse decernentes, *parem rebus Orationem habere.* Quid Romani? pari seueritate semel iterumque ex vrbe Rhetores eiecerunt. Annon & pari caussâ? Scilicet boni puriq; mores fucum illum tumoremq; dicendi non ferebant. Res & facta curæ erant: oratio verò, quæ grauitate & moderatione quadam breuiter suauiterq; res & facta explicaret. Sed quæ constantia rerum optimarum? Cum moribus corrupta etiam Eloquentia, postquàm in vrbem Asianus ille luxus immigrauit. Facile fuit, eneruatis animis, sermonem mollitie inquinari. Vt pectus, ita lingua cuiusque: & in omni populo rationem morum oratio sequitur. Romani quidem, cùm boni, etiam diserti fuerunt. Quid enim? In pulchrâ, purâ, sanctâ vrbe solam dicendi rationem culpes? in turbidâ, tumidâ, fœdâ illam solam laudes? Alio æuo Virtutem Romæ quærere, alio Eloquentiam, error est.

Moribus Antiquis res stat Romana virisq;.

Et Eloquentiâ Antiquâ. Mores Antiquos disce, & Eloquentiam habes: illam puram, illam sobriam, illam castam. quæ, non dicam hominibus, sed Deo ipsi grata. Quid longâ sermonis periodo preces cumulas? breui carmine puram prome mentem; Numen placasti. Apud Antiquos ipsi Apolloni Pythio parsimoniam hanc acceptā fuisse, decantatæ sententiæ, Γνῶθι σεαυτόν,

Μηδὲν ἄγαν, similesque eius templi foribus præfixæ testantur. Quid Leges, quæ & ipsæ diuinâ quadam aurâ constant? Apud omnes gẽtes breues fuêre, magnâ & solicitâ verborum frugalitate à Sapientibus conditæ, velut à Numine acceptæ; vt reuerentiam & auctoritatem quamdam diuinam Breuitate inuenirent. Etiam Reges Principesque, qui Deo proximi, in terris Deum repræsentant, sermone parci, sed arguti, maiestatem suam Laconismo commendant, Apophthegmate Diadema. putes eadem fasciâ, quæ caput ambit, linguam quoque vinctam. Eminẽt inter homines; imò supra homines, hac pænè de caussâ, quod, πολυλογία ad sordes populi relegatâ, sententiis conclusa oracula loquantur. An ad exempla veniam? Porus ille vt est apud Plutarchum, ab Alexandro Magno captus, rogatusq; quonam modo tractari vellet, misso verborum omni apparatu & planctu, ne blandiri salutem captiuus videretur, Βασιλικῶς, respondit. nec aliam vocẽ, cũ sæpius interpellaret, extorquere à victo victor potuit. O animum, ò sermonem in sordida Fortunâ Regium! Et vtrumque admiratus Alexander, dignum misericordiâ, imò regno censuit, habuitque. *Ægrum curauit* (verba Curtii) *haut secus quàm si pro ipso pugnasset. confirmatum, contra spem omnium, in amicorum numerum recepit. mox donauit ampliore regno, quàm tenuit.* Hæreo in exemplo; ac nescio profectò Indum potiùs an Macedonem admirer. Ille bello victus, hic sermone: ille mora, hic mométo. Vbi Martis negotiũ erat, magno armorũ apparatu Rex è Solio pro-

proturbatus: vbi Suadæ, nullo verborum restitutus. Martem vide, Suadam vide; & hoc modo siue pugna, vt Fortunâ victor sis; siue loquere, vt animo inuictus. In Castris Milites suos Imperator numeret: Verba Orator pro Rostris ponderet; non vt copiosè, sed grauiter viriliterque dicat. Leues isti & inanes soni euanescunt: sententiæ strictæ & acres, vt cum Fabio dicam, *feriunt animum; & vno ictu frequenter impellunt, & ipsâ breuitate magis hærent, & dictione persuadent.* Sed in exemplis porrò videamus; breuibus & Spartanis. Cleomenes à legatis Samiis prolixâ oratione prouocatus, vt bellum Polycrati tyranno faceret, pulchrè suauiterq; respondit: *Eorum quæ dixistis prima non memini, media non intelligo, vltima non probo.* Archidamus etiã, cùm intellexisset Eléos velle Arcadibus auxiliũ ferre, paucis verbis deterruit: *Archidamus Eléis, Bonum est quiescere.* Philippi Macedonum Regis minax ad Lacedæmonios epistola erat: *Si exercitum in fines vestros duxero, stragẽ & vastitatem dabo.* Responderunt vnicâ, sed magnanimâ voce EI', id est, SI *duxeris.* Iterùm, cùm idem Philippus quæsiuisset, an in vrbem à Spartanis recipiendus esset, ingentibus litteris rescripserunt, OY', id est, NON. Verba ista, an fulmina sunt? sanè cum terrore dicta, siue scripta. Et tamen plura inuenias: quæ nunc etiam in Optimo & Fortissimo principe nostro PETRO ENRIQVEZ ACEVEDIO, Comite FONTANO, plenâ laude effulgent, & in oculis æui sunt. Breuis est, Laconicus est, si quis Antiquorum; cuius, vt facta exempla, sic verba dogmata sunt,

in Historiam vtraque referenda, vt æterna sint. Ille quidem erit, glorioso belli pacisque habitu: & ego ero, si eumdem describam. Nunc certè quod liberè libenterque dicam, auspicio eius fit: quod Laconicè, auctoritate & exemplo. Quid non velim hoc Auspice? quid non ausim hoc auctore? Stilum meum amat, conatum fouet, & Laconismum stilo & conatu meo publicè vult promotum. Sed annon bono consilio, bonoque iure? Litterarum interest puriore illo Suadæ rore tingi ingenia: interest Reipublicæ forum curiamque tranquillâ quadam Eloquentiâ gubernari. Quo strepitu, quo æstu & astu verborum vtrobique laboratur! Remedium ecce promo. Etenim in omni negotio, si experiamur, vsum laudemque Breuitas habet. Ac profectò quid verbis opus, si verbo sententiam lepidè & argutè repręsentes? Breuiùs compendio, quàm periodo itur. Quod in nummis, hoc ipsum in verbis probo; ne oneri, sed vsui sint. Atque vt magnum nomen pauci nummi faciunt ac diluunt, si boni: sic magnum sensum pauca verba, si bona. Imi Mercurii homines cum strepitu peculium teruncii stipant, ære arcam onerant: at splendidiores, nummorum compendium, ipsum aurum amant. Ad eumdem modum, angustioris doctrinæ mentes in aceruum vacua grandiaque verba cogunt & cumulant, magno sono, exiguo sensu; in quos Sallustianum illud conueniat, *Satis Loquentiæ, Sapientiæ parùm*: sed qui melioris Musæ censu instructus; is verò colligit in compendium verba, & exiguâ mole magnum ingenii pondus librans,

boni

boni Oratoris, boniq́ue Ciuis nomen tuetur. Vt igitur in arcâ, ſic in ore theſaurus eſt; imò os ipſum melioris Suadæ arca eſt. Melioris? atque etiam deterioris; è quâ & æris ſonitum, & auri pretium depromas. Nam profectò Multiloquẽtia ſono conſtat, & æs merum eſt: Breuiloquentia pretio, & aurum eſt. vnde ſicuti metalla iſta colore, & virtute: ita omninò characteres illi diſtant. At enim Ciceronem, Eloquentiæ Principem, mihi obiicias. Ita, principem; ſed vt illius æui iudicia erant, Aſianæ: *quem tamẽ*, verba apud Quinctilianũ ſunt, *& ſuorũ homines temporũ inceſſere audebãt, vt tumidiorẽ, & Aſianũ, & redundantẽ & in repetitionibus nimium, & in ſalibus aliquando frigidũ, & in compoſitione fractũ, exultantẽ, ac penè viro molliorem.* Quid miramur? ſiue Naturâ, ſiue ſtudio talis alicubi fuit; & corrupti æui vrbisq́ue moribus ſe dedit, vt vbertate & luxu orationis excelleret. Ac certè excelluit, & illaudato in genere dicendi laudem ſummam adeptus eſt. Quòd ſi tamen ſeriò virum intueamur, ſcripta perluſtremus, facile erit, etiam ipſius Ciceronis teſtimonio, atque adeò exemplo, neglectam LACONISMI formam in vſum pretiumq́ue mortalium reuocare. Sed nimis prolixa nunc quidem Oratio eſt: ac vereor ne aliam laudare, aliam habere videar. caueo. Cui Cicero placet, ego quoque placere cupiam: cui Breuitas, Ciceronem ipſum præſcribam. Ciceronem, inquam: illum Atticum, imò Laconicum, in re & argumento ſeueriore. Huiuſmodi PARADOXA ſunt, bona illa, alta illa, velut

in exemplum robustioris Suadæ. Sapientiam ipsam videas, ornatam, an armatam? Verbis parco, re ostendam. Hoc enim & Anni, & Laconismi Auspicium quoddam est, quo excitare Iuuentutem ad amorem priscæ Eloquentiæ volui; & stili atque Dictionis meæ Genium breuiter commendare. Veniat igitur, & me audiat, quisquis Artem dicendi Laconicam amat: imò veniat, quisquis Asianam. Ad vtramque enim nouo labore facilem viam aperiam: veteri exemplo, viros bonos, dicendi peritos, vrbi atque seculo reddam. DIXI.

Orna-

Ornatiss. & Prudentiss. Viris

IOH. BAPT. SACCO,
SENATVI MEDIOL. A SECRETIS;

&

BONIFACIO,
ÆRARII REGII RATIONATORI:
Fratribus.

HISTORIÆ AVSPICIA *breui Præfatione in* L. IVLIVM FLORVM, *&* HISTORIOGRAPHI REGII MVNVS, *publicè habui, Ornatiss. & Prudentiss. viri. publicè, id est, apud multos; nec tamen apud omnes, quos, vt contrarius hominum adfectus est, nouus iste titulus meus siue recreat, siue etiam torquet. Ego autem priuatim neminem, publicè omnes vocaui; ne quis meâ, sed publicâ litterarum caussâ accederet. Sic igitur honorem Litteris & Scholæ habuit, qui accessit; me ad gratiam non obstrinxit, quia caussâ meâ non accessit: habeo tamen gratiam: & vobis, qui vocari, beneficium censuistis; damnũ, non venire. Non venistis autem, publicis aulæ curiæq; curis impediti, quæ cũ industriam ac prudentiã vestram otiari non sinant; vix audiendi desiderium in Schola occupari. Imò non venistis, vt ad vos Oratio mea veniret, iam tum priusquam haberetur vobis destinata. Destinata inquam, vt pronum, benignum (& cur*

non addo paternum?) adfectum in me vestrum, velut publica nota tandem aliquando publicè agnoscerem, nullo vmquã munere exæquandum. Hanc igitur notam accipite: me amate, Virtuti, Doctrinæ, Humanitati vestræ serio cultu semper addictũ. Mediolani, III. *Eid. Nouemb.* ∞.IↃ CIII.

ORATIO IX.

DE L. IVLIO FLORO

DEQVE TITVLO AC MVNERE MEO Historiographico:

Ad S.P.Q. Mediolanensem.

INTER honoris titulos publicum Professoris munꝰ antiquitùs fuisse, Auditores, memoriæ & monumenta veterum liquidè testantur: sed nunc pænè desiisse, cum maximo virtutis ac litterarũ detrimento experimur. Eò enim morum vitio & seculi ventum, vt indignum ingenuo homine videatur, cultum ingenii profiteri; illiberale, liberalibus artibus vacare. Quæ infelicitas, sic enim appellanda est, hanc inprimis vrbem (cogor dicere) illam rerum bonarum olim matrem; & in vrbe hanc inprimis Scholam, illam tot Professorum, tam insignis antiquitatis gloriâ nobilem, premit; quando, quando remouenda? Ego

Ego quidem quantâ ope adnisus fuerim, Schola fateri cœpit, postquàm DE RHETORIBVS Dixi; sed vrbs tamen, quasi altiore litterarum torpore mersa, sensisse non videtur. Mirum profectò & pænè ridiculum, studiorum amorem in Scholam reducere: magnum ac difficile, in vrbem. Illud tamquàm Professor conatus sum: ad hoc nouæ à nouo aliquo titulo vires auctoritatis necessariæ erant. quo autem titulo? HISTORIOGRAPHI. Sic igitur, quasi plenè Scholam illustrassem, Historiographi munus accepi; vt vrbem, & rempub. vniuersam illustrarem: & quasi ad scribendam Historiam promoueri alius non debuisset, nisi qui iam promotus ad Eloquentiæ professionem, locum eius sedemque exornasset. Itaque dignius augustiusque Historiæ quàm Eloquentiæ munus; ac mihi quidem ad prouocandam Famam aptius, cùm scribendi laudem meâ ipsius industriâ vniuersam obtineam; docendi gloria ab aliorum iudicio aut opinione dependeat. Quæ scripturus sum, doctorum omnium, seculi, & posteritatis iudicio stabunt: quæ doceo, priuatorum quorumdam siue imperitæ, siue malignæ censuræ subiecta sunt. Imperitum enim ac malignum est, sine fructu vocem publicam dicere, quia pauci sunt, qui audiunt? An verò ideò sine fructu? nego, vt nemo infelicem arborem dixerit, quia pauci decerpunt; sed si nihil ipsa produxerit: An verò pauci? pariter nego. Ite, & inite numerum, qui à solo numero Professoris industriam doctrinam-

que æstimatis : ite & Ticinum, Patauium, Bononiam, reliquaque Italiæ Gymnasia conferte. Illa vidi, statum lustraui, & in meo mihi velut regno quodam florere visus sum. Non à pueris, sed à viris audior, illis qui iam publicis titulis ac honoribus donati sunt: & vt porrò audiar, votum & cura mea est. Vos illi (adestis enim, sed vt deinceps semper adsitis) Vos inquam, prænoscite quid facturus sim, vt libenter adsitis. ego quidem rectè facturus, si & scribam quæ scripta non sunt; & explicem quæ scripta: ita scribendo Historiographi, explicando Professoris munus impleturus. Quid igitur? Historiam ad Eloquentiam conuertam. part enim Eloquentiæ Historia est; nec Historicus bonus nisi qui & Orator: vt ad perfectum Oratorem Historiarum cognitio necessaria est. Quare vt doceam quod scripturus sum, Historiam aggrediar. ad huius enim lectionem si seriò auditorum animos conuertero, fiet vt ipse aliquando legar. Dixi Historiam, sed Romanam, id est, *non vnius populi, sed generis humani facta:* Romanam, in quâ pacis, militiæ, religionis, disciplinæ exempla frequentissima sunt; Denique Romanam, æuo proximam, magnitudine primam, viris virtutibusque fœcundissimam, famâ æternam: quam ordine & accuratè, *vt cœperit, vt adoleuerit, vt quasi ad quemdam iuuentæ florem peruenerit, vt posteà velut consenuerit*, euoluam. Ad hanc rem; dubius, quem potissimùm auctorem è priscis illis adhiberem; meo potiùs in-

ingenio, quàm mori communi morem gerens; Liuio Florum præpoſui, preſſum illum quidem, ſed tamen accuratum & virilem, qui paucis lineis res ingentes comprehendens, perfectam hiſtoriam compendio quodam ſermonis, nullo diſpendio veritatis condidit. Planè vt ſpecula quædam minuta, ſed conuexa totum hominem exiguo orbe repræſentant: ita hic ſcriptor exiguo libro vniuerſam rem Romanam. Fecit enim quod ſolent qui terrarum ſitus pingunt; & totam magnitudinis Romanæ imaginem amplexus eſt. Quidquid voluit, ſtilo expreſſit, & eo modo quo voluit: vt neſcias narrando doceat, an docendo narret, qui vtrobique delectat. Sed Florum quid vltrà commendo, cùm nomen ipſum pro encomio ſit? Florida ſcriptio eſt, floridum argumentum, vno verbo, auctor ipſe Florus: non ille quidem in manibus plebeiæ iuuentutis: dignus tamen qui ſit. at nec in Scholâ hac expoſitus: quid refert? dignus qui exponatur, dignus qui inter reliquos illos togati ac palliati ordinis ſit, quorum, iure litterarum, communis hæc ſedes. Vt Pantheon Romæ omnium Deorum templum erat: ita Schola Mediolani bonorum omnium ſcriptorum ſit, quorum auxilio & ope Antiquitas illuſtretur. Etenim ſcientiæ & auctores ipſi eodem iure cenſendi ſunt. vt autem ſcientiarum vinclum quoddam & nexus eſt: ita auctorum, quorum diſcretæ & diſtinctæ quidem claſſes ſunt, ipſi tamen coniuncti. Quid igitur eſt? Ex Oratorum nu-

mero Demoſthenem aut Ciceronem alius introducit? è Poëtarum Homerum, aut Vergilium? ex Hiſtoricorum Thucydidem, aut Liuium? Ego Oratores, Themiſtium, Plinium, aliosque habeo: Poëtas, Pindarum, Horatium, & plures: Hiſtoricos, Polybium, Salluſtium, & vt vno omnes complectar, hunc meum Florum. Florum inquam; nec Hiſtoriæ tantùm, ſed ſtili ſiue eloquii cauſsâ. Vos autem, Auditores, etſi ad eloquium, inprimis tamen ad Hiſtoriam voco. Vos inquam meos. nam multos illos, qui ad fabellas nugasque fori ac triuii ruunt, alieni iuris ac iugi eſſe patior. Patior, quia nec per ætatem ad Hiſtoriæ amorem prouecti ſunt; nec per inſtitutionem, quâ tument, vnquam prouehentur. etſi enim docentium ambitione in ſcientiarum omnium orbem propelluntur, tantum abeſt vt Hiſtoriæ vſu ætatem præuertant, vt etiam pueri maneant poſt ætatem. Hauriunt leuiter ex illo πολιτείας fonte, ſed crudo velut ſtomacho, nullo antiquitatis prægustu, nullâ amœnioris eruditionis promulſide initiati. Hinc quidquid audiunt, ad mouendam dumtaxat nauſeam litterarum audiunt, otio, ineptiis, vanitate pleni. Sed morem illi malo, ſiue imperio, ſiue ingenio gerant. Vos mei mihi, qui eâ ætate & prudentiâ eſtis, vt intelligatis quæ voluptas in Hiſtoriâ, quis fructus: eo affectu & pietate in Patriam, vt priſcam Patriæ gloriam, id eſt, Scholam, velitis reſtitui, æui & hominum iniquitate conuulſam. Ego vero non minùs pietatem ve-

ſtram

ſtram promotam cupio, quàm vos Patriam: ſed quod Profeſſor præſtare hactenus non potui, Hiſtoriographus potero. Vos autem ſi ob Profeſſoris titulum anteà me amaſtis & audiſtis, ob Hiſtoriographi honorem ampliùs amabitis, libentiùs audietis. Hactenus enim formare dignos Repub. & famâ ſtudui, qui me audiuerunt: deinceps deſcribere quales formaui. Magnum igitur, egregium, regium HISTORIOGRAPHI hoc munus. Cur magnum & egregium? quia hinc rerum geſtarum memoria, & vrbis gloria dependet; vmbris & tenebris inuidæ obliuionis opprimenda, niſi Hiſtoriæ face illuſtretur. Cur regium? quia ab ipſo Rege noſtro illo orbis & ſeculi bono nato, qui magno animo felici ſceptro, maximi & feliciſſimi imperii populos regit, collatum. Collatum inquam, etſi meo magis, an vrbis bono neſciam. Meo quidem, cùm iam impleſſe incerta mihi vota videar, & machinas omnes petulantis calumniæ perrupiſſe. Etenim à primis ſemper ſtudiis quamuis ad alia me munia Parentes & Patria ſibi deſtinarént, operam tamen dedi, vt, bono ducente Genio, veſtigia illius ſequerer, qui ad Hiſtoriæ & vitæ tranquillitatem ſeculo hoc noſtro peruenit. Quis ille? exſpectatis fortaſſis vt diuitem aut opulentum aliquem nominem: at vera felicitas à diuitiis ſecreta eſt. aliquem ciuilium honorum faſtu plenum? at vera felicitas curarum ambitione non diſtracta eſt. Quem igitur? modeſtum, ſedatum, & MORIBVS ANTIQVIS ho-

minem, IVSTVM LIPSIVM. Hic ille meus doctor, & meus ductor, quem velut Cynosuram in hoc studiorum cursu & votorum æstu semper respexi; nec aberraui. Hic ille qui optimis me artibus imbuit, qui vt similem sui efficeret, ita mihi linguam instruxit, vt docere; ita stilum, vt scribere ipse possem. Facio vtrumque, & iã, præfiscinè dixerim, similis aliquo modo sum; quòd publicè, quòd feliciter faciam. Ille Professor iam discipulum Professorem, ille Historiographus, iam discipulum talem habet; suo pariter & meo honore insignis, cùm eosdem titulos bis iam meruisse, in se, & deinde in me videatur. Quidquid sum, ipse est: atque hoc ipsum honori eius & famæ totum adiicitur, quidquid ipse adquiro. De me sic breuiter: Vrbis autem bono HISTORIOGRAPHI munus datum esse, ipsa aliquando Posteritas agnoscet. Quid enim? in tanto populo, in tantis rebus silentium Historiæ esse, quo damno censeatur? esse qui benè faciant Reipub. qui scribant deesse? Lacedæmonii olim illi ἄμουσοι, sacra tamen Musis faciebant litabantque ante pugnam, solius Historiæ ac famæ caussâ. Mediolanensibus verò, qui non minus litterarum quàm armorum gloriâ floruerunt, quanti Musæ esse debent, quæ solæ ad Historiæ & Famæ æternitatem ducunt? Sed quòd nomen vestrum ducent, Regi, & post Regem Principi VELASCIO, illi seculi Musagetæ adscribendum est; cùm huius ille instinctu & consilio beare vrbẽ voluerit; honorare Historiâ publicas virtutes,

atq;

atque adeò ſcelera caſtigare. Magnum virtutis prœmium, magna ſceleris pœna eſt quòd ſciantur: ſic ad virturem quiſque exſurgit, dum prœmium; à ſcelere deterretur, dum paratam pœnam offendit: & formidini ſcriptor malis eſt, dum occulta & inuoluta ſilentio malefacta reuelat, vt à poſteritate damnentur: gaudio verò & gloriæ bonis eſt, dum acta omnia bona in lucem ponit, vt publico teſtimonio ad exemplum prouehantur. Recenſere autem tam ſcelera, ſed illa publica, quàm virtutes Hiſtoricus debet: Scelera, vt pœnam oſtendat quâ punita ſunt, aut ſi id non poteſt, ſcribendo ipſe pœnam infligat aculeo ſeueri ſtili. Adde quòd recéſere debet, vt damnet, vt exemplo ab exemplo abſterreat. De Virtutibus non dico, quæ per exempla diſcendæ ſunt: exempla verò nemo fert, niſi quæ æuo & antiquitate commendantur. nam quot rectè olim factum, ad imitationem admittimus: quod rectè fit, inuidiâ remouemus. Sed exempla vetera eſſe non poſſunt, niſi in Hiſtoriam olim condita ſint, & ab illo penu pura puta depromantur. Vtile igitur hoc munus, ſed vobis; imò glorioſum hoc munus, ſed vobis. Tribuit enim Rex vrbi veſtrę rerum geſtarum gloriam, quod ſcriptorem deſignat: & hoc ipſo ſe amare vrbem oſtendit, cuius famam propagat & diffundit. Tribuit etiam mihi hunc honorem, vt honeſtiſſimo prœmio conductus ſcribam & celebrem quæ gerenda ſunt: quaſi iam ſciat digna omnia hiſtoriâ & poſteritate fore quæ gerentur. At enim potuiſſet à priuato priuato, labore publica Hiſtoria

condi. potuisset quidem; sed sine prœmio rarus quisque stilum pro Repub. mouet. Differt etiam suo an publico remigio rem scriptor gerat; cùm publico rectiùs, siue auxilii, siue fidei caussâ: suo difficilem aut fabulosam scriptionem faciat. Quæ si ita sunt, æstimate nouum hoc, sed publicum munus, quo ipsa gloria vestra æstimatur; æstimate inquam, ne imperitiæ aut impietatis obiice Patriæ Fama retardetur. Imperitus enim est, quisquis non agnoscit publicum hîc negotium geri; aut nescit quid publicum sit. Impius verò in Regem & Rempublicam. Despicere enim beneficentiam Regis videtur, qui hoc munus: negligere Rempublicam, qui hoc munus: cùm ille vt æstimaretur dederit; & hæc maius nihil magisue æternum accipere potuerit. Nec est quòd sibi quasi ab extero quid præreptum quispiam queratur, cùm Historiographi titulum nemo ne per somnium quidem petiuit aut cupiuit: auctor ego sum, ego petitor, ideoq; extra inuidiam, quòd primus publicâ auctoritate scripturus sum. Ego obibo munus, quod ante me nemo obiuit, alii post me obibunt. illis enim omnibus, qui scripturi post me sunt, impetrasse munus videor, quod petii, vt post me duraret. Itaq; beneficiũ à Rege accepi, sed Ciuitati dedi: & vt sibi me Rex obstrictum: sic ego Ciuitatem mihi habeo, omnesque eos, qui meo isto titulo Ciuitatem aliquando illustrabunt. Regis enim liberalitate Historiographum Ciuitas sine suo sumptu habet, & meâ operâ plures hoc honore censebuntur quo donatus sum. Quid ampliùs differo? cui vile hoc munus, malo mentis

morbo

morbo virtuti inimicus est; quasi, cùm nihil ipse dignum Historiâ gerat, ne aliorum facta in Historiam referantur, Historiam damnet. Nigræ & inquinatæ mentes sunt, quæ famam horrent, ideoque Historiam; cum hæc vna, velut æui scena, priorum siue virtutes siue etiam scelera posteritati repræsentet. Sed contineant se illi silentii & secreti latebris, ac in occulto sint. Vos, qui legi aliquando & esse in Historiâ vultis, audite, & cognoscite historiam, vt quâ gloriâ prisci illi legantur, ac legendi ipsi sitis, cognoscatis. Ampliùs incitare quemquam nolo, vt audiar, sed cõplecti & celebrare illos à quibus audior. Plures sunt, qui ad vana & ignaua abstracti, Scholam Litterasque fugiunt. Ego hos vocem? offendo, quia inuitos voco: & offendor ipse, si vocem, nec obtineam. Tantùm voueo, ne ad paucos Eloquentiæ & Historiarum amor rediisse videatur. DIXI.

FINIS.

ERYCI PVTEANI

EPIDIGMA

HISTORICVM,

ſiue

Pueritia & Adoleſcentia

IO. IACOBI MEDICÆI,

Marchionis Mariniani.

PRÆSIDI,

ET

S. P. Q. M.

EPIDIGMA

HISTORICVM

ERYCIVS PVTEANVS,

STILI HISTORICI

CAVSSA,

REPRÆSENTO,

KAL. IANVARIIS,

∞. IↃCV.

PRÆ-

PRÆFATIVNCVLA.

QVOD *promiſi* EPIDIGMA HISTORICVM, *Viri magni, Viri docti, more Scriptorum veterum de tabulâ, quaſi fide & veritate obſignatum, promam.* PVERITIA & ADOLESCENTIA IO. IACOBI MEDICÆI *eſt, arâ Æternitatis digna. Imò Vitæ, ac Rerum Geſtarum velut* Specimen *eſt. Vitam, tamquàm priuatam, quis adſpicit ac nominat? Res ego geſtas, tamquàm publicas. Itaq; vt munus meum Hiſtoricum, publicum eſt: ita publicam in vno homine Hiſtoriam, nec ſine exemplo, exorſus ſum. Mitto turbam: Salluſtius Catilinam, Coniurationis titulo; Tacitus Agricolam, Pietatis adfectu celebrauit. vterq; tamen quia de Ciue Romano ſcripſit, ſcripſiſſe Hiſtoriam Romanã dicitur, & cum laude ſtilum occupaſſe. Ille verò, cuius ego Mores Virtuteſq; celebro, Ciuis veſter fuit; & ſic quæ celebro, veſtra, id eſt publica. Audite veſtra, audite publica; & in gratiam fortiſſimi Viri fauorem mihi benigni ſilentii date.*

ERYCI PVTEANI

EPIDIGMA HISTORICVM,

Siue

PVERITIA ET ADOLESCENTIA IO. IACOBI MEDICÆI.

GEntis humanæ vitium eſt, contemptis vicinis aut neglectis loco pariter & ętate longinqua admirari. Sic noſtro infenſi, clarorum virorum facta moreſque alieno ſeculo quærimus: & in pretio Antiquitas eſt, quaſi idem temporis ac virtutis interuallum. Inſignes plerique è priſcis & admirandi fuêre; ſed & multi è noſtris, quos ſiue Hiſtoriæ ſilentium, ſiue tabeſcentis ſeculi inuidia ab exemplo ſecludit. Vulgus enim ſomno & vitiis ſuis merſum; vt priuatam inertiam ſeculo imprimat, tam vicinam Virtutis lucem, quam recto oculo ſuſtinere nequit, prauo iudicio conatur extinguere. quo quidem morbo mora rebus & ſimul Hiſtoriæ fit; vt cùm pauci rectè faciant, pauci etiam rectè ſcribant, auctorum ſocordiâ vnà ſcriptores trahente. Res vtraque ingenii & poſteritatis eſt facere & ſcribere; ſed vt materiam ſcriptor inueniat, eſſe debent qui memoratu digna præſtent. Ita eſt, rari illi ſunt, ſed morum & dominantium cupidinum, non virtutis aut

tis aut Naturæ culpâ. Ingenium qui vitiis correptum & corruptum habent, Naturam, tamquam nouercam, accusant. Sed isti oppleuerunt, velut cineribus, igneam vim animi, & otio torpentes, velut mortui viuunt, sine vllo probitatis motu aut luce. siquis veterno hoc excusso, ad magna mentem erexerit, inter Antiquos censeatur. Naturam senio fessam aut effœtam impiè dixeris. in corpore humano, vt in elementis corruptioni obnoxiis ipsa in corrupta est: in animo, vt in cœlo, æterna est, senii expers, sana, robusta, fœcunda quovis seculo, si colitur. Itaque si animum spectas, ab eodem cœlo ducitur: si corpus, iisdem elementis compingitur, alitur, vegetatur: si vtrumque, iisdem astris nascitur; & ad eamdem Virtutem atque Famam. Romanis Græci antiqui & magni fuêre; Græcis alii: nobis isti omnes sunt, & aliis mox erimus; si nominis Virtutisque memoriam Historiæ inseramus. Nostrũ hoc seculum, quod plenum vitiis meritò fastidimus, si inspicias, admirêre profectò, qui communem vniuersi generis ignominiam deleant, si magis in aperto sint. Inter hos præsenti memoriâ Io. IACOBVS MEDICÆVS, cuius mihi vita Historiæ promulsis erit, excelsi inuictique animi & consilii vir, egregium vrbis, seculi, atque militiæ decus; qui fortunam freno ingenii domans, ęterno exemplo edocuit, quantum animus in rebus humanis possit. Natalibus, & educatione nobilis, sed priuatus: pænè puer Patriâ pulsus, infestos infensosque primores, ipsumque deinde Principem hostem bello sustinuit. vnico ca-

ſtello munitus tutusque, velut è ſpithamâ terræ vniuerſam prouinciam conterruit. ita priuâ induſtriâ & innato vigore animi, pænè ſtupente fortunâ, ad excelſa virtutis vota perrupit: glorioſus quidem, quòd ex ipſo ſilentii profundo emergere tam felici conatu potuerit; glorioſior autem, quòd modum felicitati poſuerit; & cùm ſumma Fortuna promitteret, mediocria amplexus ſit. Gentem MEDICÆAM habuit, antiquâ origine nobilem, quæ diffuſis olim per Italiam radicibus, etiam Mediolani inter præcipuas floruit. Nam & vicus & palatium hodiè Medicæum, etſi neglecto pænè nomine, poſtquàm vetus ille familiæ ſplendor imminutus. Pater, BERNARDVS MEDICÆVS fuit, vir prudens, gratus ciuibus, natus negotiis; qui in curâ vectigalium prouinciæ conſenuit. Florē & pænè robur annorum cœlebs egit; ac inclinãte demùm ætate poſteros cogitans, CÆCILIAM SERBELLONAM è patriâ & nobili familiâ vxorem duxit, tardo, ſed fœcundo voto. nam liberos vndecim; mares ſex tulit, IO. IACOBVM, IO. ANGELVM, Franciſcum, Baptiſtam, Auguſtum, Gabrium. Sic ante reliquos Iacobus & Angelus in lucem editi, qui lucem reliquis, atque adeò familiæ laboranti darent. Id ſub infantiæ mox initia prodigio promiſſum. nam cùm lucerna, quæ in cubiculo noctu alebatur, repentè extincta eſſet, pyrallis adfuit, & aliquantiſper circumuolitans, vt, contractis giris, lucernam contigit, nouo lumine animauit. Mira res: vix plenam flammam lychnus conceperat, atque cubiculum illuſtrarat, cùm denuò exſpi-

exſpirauit. Nec interpretatio defuit à doctis ſapientibuſque curioſè quæſita: puerulos adflictis familiæ rebus certum aliquando, at non diuturnum lumen præſidiumque fore. Itaque pater ſpe dubiâ plenus, vt viam Fatis ſterneret, honeſtarum artium cultu ingenium vtriuſq; nutriuit: & ſic altum vterque ſpirant, nec fractus deliciis, nec indulgentiâ ſolutus, diuerſo ducente genio, per diuerſum vitæ iter ad paterna vota properauit: alter literis, alter armis experturus, quid ſummum in rebus humanis eſſet. Io. Angelus pleno deſiderio litteras amplexus, cùm per continua & tranquilla pacis ſtudia pueritiam adoleſcentiamq; tranſegiſſet, Iureconſulti titulo Ticini publicè donatus eſt; ac deinde Mediolani in Collegium Iuriſconſultorum, doctrinæ & antiquæ nobilitatis ſuffragio adſcitus. Mox ſacrâ vitâ & togâ ſumptâ, per omnes honorũ gradus, celerrimo virtutis curſu euectus, ad culmen humanorum votorum conſcendit, & grato publicè nomine PIVS QVARTVS appellatus. Sed Io. Iacobus, cùm primùm guſtum litterarum hauſiſſet, Romanæ hiſtoriæ ſeriò inhærens, militaris gloriæ cupidinem animo impreſſit. Hinc ad arma conuerſus, laxare flammam ingenii cœpit, corpus exercere, diſcere à peritis, ſequi optimos, ac potentiorum amicitias ſtudio & obſequio nectere. Erat in vultu grauitas, in moribus ſeueritas, in animo Virtus, in omnibus feruor, & ſupra ætatem omnia; quibus in turbulentâ ciuitate multorum inuidiam atque inimicitiam prouocauit. Nam melior omnis vita, & virtute emergens, odium apud

inertes habet. Vix ephebum Paullus Pannianus iuuenis nobilis & acer cum armatorum manu ex insidiis adortus, pænè oppressit. atque hîc primum inuicti animi rudimentum enituit. circũfusi aduersarii incautũ infesto ferro adolescentem petebant. ille in repentino periculo faciliùs gladium quàm consilium promens, gradu ad prœliandum composito, primam vim viriliter sustinuit: mox ipsis vulneribus stimulatus (quinque iam grauissima acceperat) perrupit & euasit. Commodùm è periculo vitam viresq; recuperauerat, cùm magis magisque recrudescente iniuriæ memoriâ, inimicum nobiliũ iuuenum cateruâ septum solus aggressus interemit. Hac cæde vniuersâ familiâ irritatâ, Medicæus vrbe excessit; & ad lacum Larium, eâ tempestate partiũ tumultu & armis variè inquietum, exulatum iuit, tamquàm ad occasionẽ magnæ virtutis euocatus. Factionis Gibellinæ hîc tunc caput Ioannes Mattius erat: hunc per varia discrimina secutus, sæpiùs ipse duxit, & manu consilioque seruauit. Labore, vigiliâ, inediâ deliciarum cupidinumque ipsam pænè memoriam deleuit; iam sine onere ad gloriam anhelans. Nam qui voluptatis blanditiis capti, corpori indulgent, humi serpunt, vitamq; infami silentio consumunt. Tanti erat vrbem relinquere. neq; tamen cùm aspera illa locorum diutiùs incoleret, mores inhorruêre. comis & blandus inter amicos: ferocem acerbumque soli hostes experti sunt. Impetum, & sæuitiam sociorum clementiæ officio temperare solebat; ad glo-

riam,

tiam, non ad prædam hortari: cum auctoritate, sine imperio erat. Itaque in longiori ac difficili exilio prius vitæ, cùm nullum â patre auxilium esset, mox famæ fuit. atque huius fæcunda etiam semina per steriles rupes sparsit. Iam tum honestâ quadam cupidine dominandi tentare animum cœperat, & Fortunam quasi tardam accusare. Hactenùs enim in vmbrâ tantùm militiæ arma sacramento soluta induerat, in publico tumultu & ipse partes secutus. Intereà Mediolani non vna rerum facies. Vix sub Maximiliano Sfortia VIII. duce suo ciuitas respirauerat, & in Gallorum denuò potestatem cessit. Vetera tum vulnera omnia recruduêre; & velut vna plaga vniuersum Reip. corpus factum. Virtutis ingeniique cultus ludibrio erat, boni doctique odio. sic ipsis malorum remediis amotis, audacissima quæque facinora impunitatem atque adeo prœmium inueniebant. imperium crudele, impium, intolerandum. ambitio, auaritia, libido, pro lege; ius & fas pro ludo: & iam post arma sæuior pax erat. Sed cætera dominantium vitia populus tot malis subactus, tolerare vtcumque potuit: cùm libido accessit, vniuersus vrbis status velut graui procellâ concussus est. Venus ipsa furore armata sæuiebat: ad obscœnam fœdamque vsuram stupri palàm matronæ virginesque poscebantur, è patriciis, & è plebe: si recusarent, per vim rapi. Sic, quod extremum in tyrannide, sanctissima iura thori violentâ libidine corrupta ac deleta; nec in ipsis priuatorum ædibus Laribusque vltima Libertatis vmbra reman-

sit. Trucem & atrocem istam rerum scenam, cũ intueri bonus quisque nequiret, & reprehendere capitale esset; alii, vt quam domi Rempubl. lege non licebat, foris ferro vindicarent, sponte exilium amplexi; alii, qui liberiùs aut ferociùs se gerere, per iustitiæ speciem, pulsi & proscripti. ita neque graue cuiquam exilium afflictâ ciuitate; & frequens erat, cùm furore quodam minimæ quæque culpæ tamquã maximæ plecterentur. Flos fere iuuentutis ac nobilitatis erat. hos Medicæus excipere, fouere, in armis habere: ac iam breui temporis spatio robustam satis manũ conflauerat ad res Gallorum infestandas. Hic publicus terror: sed in vrbibus occulta ciuium consilia ad rebellionem. occultus auctor stimulusque HIERONYMVS MORONVS litteris erat, Vir prudens & adfectu in Patriam ardens, qui per id tempus cum FRANCISCO SFORTIA Tridenti agebat. Franciscum pronis quisque votis exoptabat: exules prompti paratique pro duce; partim odio in Gallos, partim spe recuperandæ Ciuitatis. Intereà Medicæus, quattuor itineris comitibus adsumptis, Mediolanum perrexit, vrbemque ingressus sub meridiem, audacissimo facinore tabellarium litteris onustum interfecit, hoc quasi cruoris libamento oppressis Penatibus vindictam libertatis coràm pollicitus. Ampla & optata spolia, epistolæ erant, tamquam ab vniuersâ gente capta; quibus lusit læsitque dolosè hostem, & gliscentem coniurationem animauit. Sed maior iam tyrannidis potentia erat, quã vt priuatis posset armis exscindi. res casu, an culpâ patefacta, est vt Pontifex, Cæsarque

ſarque ipſe bellarent. Iuſtis vterque cauſſis ſtimulatus ferre diutiùs in Italiâ Gallos non potuit. Itaque percuſſo fœdere, ingentibus copiis Franciſcum Sfortiam per duces manu reducebant. Per Proſperum Columnam, & Ferdinandum Aualum Aterni marchionem Cæſar: per Fredericum Gonzagam Pontifex. Sfortia rerum ſummam Hieronymo Morono commiſerat, hactenùs ſpectator belli. Igitur iunctis copiis viribuſq;, etiam ſub Libertatis ſignis agmen exulum ſe mouebat, Franciſco Morono duce. Huic carus inprimis adſiduusque Medicæus, ob præfractum animi corporiſque robur; & è totâ exulum turbâ ad ardua patranda, velut in exemplum, ſæpiùs adſumptus. Nam quaſi iuſtis in armis virtus robuſtior eſſet, iam pro Patriâ nihil formidabat: & ſic, ne ſolus in periculum iret, multi amore & ſimul æmulatione ſequi. Quæ facta, imò miracula? pro fabulis ſint, niſi publicâ & oculatâ fide obſignentur. Neque tamen Medicæus in ſuam famã geſtis exultare: ad Moronum velut auctorẽ & ducem, vt miniſter fortunam referebat. ita virtute in obſequendo, verecundiâ in prædicando, extra inuidiam, nec extra gloriam erat. Galli interim minimè ſegnes aut trepidi; ſed ad repentinum belli nimbum excipiendum Lautrecum ſequebantur. Primum certamen Abdua dedit, primumque ſanguinem hauſit, vt toti Prouinciæ propinaret. Cis flumen Lautrecus exercitum retraxerat, cunctiſque ad citeriorem ripam ſubductis nauibus, hanc viris aggeribusque muniuit. Cæſariani ad flumen vſque ſecuti, per vada traiectum fruſtrà tentarunt.

Tum Franciſcus Moronus, translatis è Brembo vicino flumine duabus ſcaphis, nauiq́ue onerariâ iuxta ripam reperta, quam ſub virgulta frondeſq́ue piſcatores abſtruſerant, tranſuehere ſuos noctis ſilentio ſtatuit, vallumq́ue tentare. Factum: inſiliunt, & prope pagum Vaprium euadunt. Contrà hoſtes ſtrepitu excitati, ad ripam procurrunt. Primus in terram hoſteſq́ue ſe Medicæus effuderat, quaſi ſolus pugnaturus; pænè temerario conatu, niſi plus fiduciæ in viribus, quàm numero habuiſſet. Atq; hoc ipſo audaciæ miraculo obſtupefactos hoſtes tenuit, liberumq́ue commilitonibus exſultum fecit. Acrior deinde pugna, excitis clamore periculoq́ue auxiliis hoſtium. cumq́ue maior vis ingrueret, tumultuario conſilio Medicæus fugam cũ proximis ſimulans, proximã in ripâ domum occupauit. ſic dum eôdẽ vim hoſtilem trahit, & virtute pertinaciam prouocat, iam traiectum nauiculæ iterant, ac ſubſidium ſubmiſſum eſt. Tandem Heluetiorum Hiſpanorumq́ue copiis traductis, domum, vallumq; ipſum fugâ hoſtes deſeruêre. Nox & caligo terrorem auxerant. Itaq; Lautrecus, mutato repentè belli conſilio, exercitum Mediolanum duxit, ſiue vt prœlium declinaret, ſiue vt armorum pręſentia nutantes ciuium animos in fide teneret. Sic ſerò intellexit agitatum iniuriis populum cupiditate libertatis incendi. Sed Cæſariani, quaſi fugientes ſequerentur, ad vrbem pariter aduolant, gnari ciuium auxilio expugnari poſſe. Primam aciem Aualus ducebat, & ex ipſo itinere mox in mœnia direxit, tãquàm in vrbe quieturus. Exules, qui diutiùs fer-

re desiderium patriæ non poterát; ante reliquos festini, per vallum, recenti ac interrupto opere hiantem, irrumpunt; ictus miscent, vi præsidium pellunt, sternuntq;. Sic in vrbem ipsam illatum prœlium, dum pugnando hostes cedunt. Medicæus inter primos fortissimè dimicans, in conspectu Larium Penatiumque tot annorum exilium hostili sanguine vindicabat. Ad armorum furorem ciues quoque prosilueranr; sed, dubio etiam Marte, dubii ipsi anxiique, vtri se parti iũgerent. Quà Fortuna rem daret, vires inclinare, mali exempli erat. Ac tametsi excutere Gallicũ iugum gestiebant, in ipsâ occasione trepidare. Dux auctorq; libertatis deerat: & sic in caussâ publicâ priuatum quisque discrimen pensitabat: hinc memoriam iniuriarum; istinc metum. *Militem vtrumque esse; ac insolentiorem, auidioremque nouum. Hactenùs siquid passi, non Regis culpâ, sed regiorum quorumdam factum, qui naturâ auidi, Remp. tamquam prædam habent. illum, benignum iustumque esse; hos, tyrannos, auaritiâ & superbia sæuos: penes illum, summam Imperii esse; hos, moueri posse.* Cunctationem ciuium Medicæus non ferens, alios rogat, alios increpat, &, vt suspectos hostibus reddat, monet coniurationis. *Itane*, inquit, *Libertatis oblitos ac fidei, æterni facinoris spectatores vos Patria habet? quis metus obsedit animos, quis torpor artus? manum, quam in coniurationem nuper porrexistis, nunc arma poscunt. Si honestum, coniurare; gloriosum, imò necessarium pugnare. Vobis quidem hoc bellum geritur, hic sanguis funditur: & nonne vester? to-*

tam hoc agmen ex vrbe vestrâ & gente est; per vim & crudelitatem excisum & emissum. recipite ciues vestros, sanguinem vestrũ: alius fratrẽ, alius filium, alius patrem, quisque ciuem: vrbem vrbi iungite. Illi, illi hostes sunt, quos in penetralibus aluistis: in hos sæuite armis, qui vitiorum omnium tormentis in fortunas, coniuges, liberosque vestros sæuierunt. Nobis quidem hæc Patria est. in hac nati altique sumus: in hac si viuere non licebit, mori saltem licebit. Vita an mors nos habeat, in vestrâ manu: sed vita libertatem ipsam, salutemque vrbis; mors, seruitutem, exitiumque vna trahit. Expedite segne ferrum, & communes hostes exemplo meo ferite. Hæc effatus, magno impetu in aduersos fertur. Ardore iuuenis correpti ciues, cùm nullo imperio tenerentur, pariter in Gallos magno fragore detonuêre. Sic Medicæi auspicio, ciuium auxilio capta ciuitas, non sine nauseâ sentinam illam tyrannidis effudit. Sed per prouinciã maior iam æstus belli, & pertinax armorum tempestas Sfortiæ incubuit. is in vrbem, imperiumq; accitus, magnâ pietate Rempubl. tamquam pater complexus est: clemens, sollicitus, liberalis; quibus virtutibus potentiam auxit. vbi belli flamma vtcumque compressa, tum Rempubl. ordinare, corrupta corrigere, inueterata mala sensim tollere; bonos fortesq; laude ac præmio fouere. Sed optimos conatus principis domestica æmulatio mox repressit & fregit. Inter proceres vrbis Nestor Vicecomes luce familiæ clarus; cæterùm ingenio turgidus atque factiosus. Is, quòd à Gallis pridem desciuerat, Sfor-

tiæ

tiæ inter amicos fuit: ſed eſſe vile habuit, niſi emineret. Ferre parem, Moronum non poterat: ſuperiorem, oderat. Sic cùm Principi primus non eſſet, plebi Princeps haberi voluit: per clementiæ ſpeciem ſcelera protegere; de rebus ſummis grauiter cenſere; nihil ſibi, nihil cuiquã denegare. His ſtudis, mirum, quàm facilè ingenia omnium traxit. Sfortia indulgere primũ, tamquàm amico: mox, quia in nouo imperio potentia ſuſpecta, donis arrogantiam placare. His ſeminibus auaritia creuit, dum prodigum eſſe de alieno licebat. Ita Neſtor naturâ profuſus, cui citiùs deficeret quod abſumeret, quam quod peteret, liberalitatem Principis, mox amicitiam ipſam prodegit. Hinc ferocior, turbare Remp. cœpit, ſęuire, omnia pro libidine agere; odio, non tam Principis, quam Moroni, qui Principem flectebat. In hunc igitur obiicem iræ & furoris machinæ omnes directæ; quo remoto, peruia omnia audaciæ & licentiæ eſſent. Sed Moronus ſollertiſſimi ingenii vir, vt manifeſtis ſignis inſidiarum periculum ſenſit, præuenire ſtatuit. *Neſtorem iuſtis criminibus inuiſum Principi, noxium vrbi eſſe: illi impunè, huic meritò ſublatum iri: ad id conſilii non priuato ſolùm, ſed publico etiam periculo ſe vrgeri. addictam & velut emptam largitionibus Neſtori plebem eſſe: hoc fomite nouum vrbis incendium ali.* Supererat, conſulto, an inconſulto Principe tentaret; inconſulto malebat, vt ſolus facinoris conſcientiam, periculumque ſuſtineret. Sed interim Sfortia ipſe, quaſi iiſdem cogitationibus agitatus, auctor vltrò acceſ-

ſit, facinuſque maturauit. Nec mora: quæritur ſtrenuus aliquis, animo erectus, manu prōptus, qui gloriæ quodam illicio negotium Reipub. agat, & ſanctâ ſilentii fide. Itaque placuit cum Medicæo agi. Huic in ſecretum ſermonis vocato, Moronus, ſuppreſſo imperio Principis, per ambages verborum inſinuauit magis cædis conſilium, quam aperuit: Hærente etiam Medicæo, *Macte animo*, inquit, *tuam dexteram capulumq; deuoui.* At ille ipſo imperii fulmine ictus, ægrè ad reſponſum animum expediuit. Metus, & periculum vtrobique: ſi Moronum reſpiceret, iam ipſum Principem verebatur; ſi Neſtorem, familiam Vicecomitum, & vniuerſam plebem. Nam ſi recuſaret cædem, ſuſpectus erat, ne proderet; ſi patraret, pro nobiliſſimo ciue prompta vindicta. Sic dubius Principem, an populum irritaret; pænè illum maluit, & incruentus incurrere periculum, quam cruentus vitare. Evicit tamen generoſum pectus Patriæ amor, vt in pernicioſum ciuem hoſtiliter ſæviret. Itaque conuerſus ad Moronum, *Arduum*, inquit, *& plenum periculi facinus! ſed quia iubes, tua, & Reipub. cauſſa audebo.* Ille verò dexteram iniiciens, audere ſecurè iuſſit: *ſuo patrocinio, non inultum modò facinus, ſed glorioſum fore. In Cæſarem, Brutum Caſſiumque; in alios, bonos forteſque cum laude ſæuiiſſe.* Sic verbis, & affectu largus, ne præmium quoque deeſſet, Præfecturâ arcis Muſſianæ, quæ paullo antè Gallis extorta, addixit. Dictâ & decretâ cæde, opportunitas quæri cœpta. Et hanc ipſe Neſtor, miro euentu, dedit, Nam qui frequenti aliàs & armato ſatellitio ſtipatus;

patus; nunc, incertum quo consilio, cum vno alteróue à pedibus puero prodibat. interim Medicæus fidissimo cædis consorte per sacramentum adsumpto; omnia prodeuntis vestigia obsidebat: tandemque sub crepusculum noctis pænè solum redeuntem ab amico domum aggressus, interfecit. Mors Nestoris variè vrbem adfecit; & quasi ad sanguinem noua libertas exhorruisset, mœrorem publicum alius libero adfectu, alius simulatione in gratiam principis familiæ explicuit; quisque in cædis auctorem, quia incertum, funesto iudicio sæuus. Sfortia ipse, vt suspicionis à se inuidiam remoueret, publicè vultum vocesque doloribus induit; &, ne inulta cædes videretur, in percussorem inquiri iussit. Ille verò iam euaserat; pænè vt iniustiùs periret. Princeps enim, quasi nullo silentio tutus, Morono mandauerat Medicæum subitò & ex vrbe, & è vita amoliretur: è Repub. esse, vnum illũ cum vniuerso sceleris onere clàm tolli. Itaque tamquàm ad Præfecturã arcis Mussianæ mitteretur, necis suæ imperium Medicæus litteris ad Præfectum ignarus defert. Sed ordinem Prouidentiæ quis peruertat? in itinere cũ facinus prœmiumque animo conferret; velut suspectã, examinare fortunam suam cœpit, nihil Morono, nihil litteris fidere. *callidum illius ingenium esse, & odiosum amicum quem timeas, suæ fidei maximum facinus commissum esse. se viuo superesse periculum, quod auctorém torqueat. primam crudelitatem hoc pudore ac metu esse, vt scelere scelus operiat: locum vicemque hostis patrato facinore percussorem subire.* Sic gliscente suspicio-

ne fraudis cum Gemonium peruenisset, litteras Moroni in manus sumpsit, ceramq; dispescens, illæso sigillo, aperuit. porrò, vt insidias legit, & tam vicinum fatum, contraxit sanguinem, & ad conspectum funeris sui expalluit. Nam etsi terrorem suspicio minuerat; fixit tamen iniuria animũ, & stupore perculit. Mox erectus compositusque, in vindictam fraudis, non iam vitare discrimen, sed eludere statuit; dolum dolo tollere; suam arcem, vel cum periculo, facere; quasi viuere iam deinceps nollet, nisi vbi mortem inimici parauerant. Igitur conquisitâ supellectile scribendi, manum Moroni feliciter sequens, ex animi sententiâ epistolam refinxit. Summa hæc fuit: *Præfectus, omni abiectâ morâ, Mediolanum veniret, arcem Medicæo committeret.* Parato dolo, quàm ocissimè Mussium contendit; vt si quem fortè Moronus submisisset, præueniret; & admissus ad Præfectum, magnâ vultus vocisque constantiâ litteras ac mandata prompsit. Ille signi errore delusus, nimioque obsequio peccans, litteris credidit, & consignatâ Medicæo arce, è vestigio Mediolanum profectus est. Atque ne hîc quidem prudentissimum Moroni ingenium tam repentino & inopinato casui succubuit. Nã is, vt sensit dolum, dissimulauit. Sic fraudis damnum astutiâ corrigens, & excepit Præfectũ, tamquàm vocatũ; & nouo militiæ munere exornauit, vt planè Principis iussu tradita Medicæo arx videretur. quæ etiam opinio vulgum deinde cepit. Et Medicæus ipse corrumpi tantisper famam passus, dum res suas Sfortiæ quasi nomine auspicioq; firmaret. Itaq;, ad præsidium è vicinis

cinis vallibus ripisque adſcitis amicis, exemplo Romuli arcem aſylum aperuit. Confluxêre partim extorres, partim Gibellinæ factionis robuſtiſſimi quique; & noui ducis imperium ſecuti, Lacum Alpeſque armorum rigore quodam impleuerunt.

CLAVSVLA.

PVERITIAM & ADOLESCENTIAM *habetis, Viri magni, Viri docti: & tales fortaſſe dictionis meæ vires. Sed calculum ſuſtineat ſeuerus cenſor; aliæ in alia ætate erunt, & in Iuuentute atque Senectute, quæ duæ reliquæ ſunt, roboris & grauitatis incrementum quibuſdam velut gradibus Character Hiſtoricus capiet.* DIXI.

FINIS.

INSCRIPTIO
SCHOLÆ PALATINÆ:
Quam a lapide ad librum transferre volui, ut toto orbe legeretur.

SCHOLA
PALATINA

QVISQVIS. ES
OTIOSVS. SEV. NEGOTIOSVS
SVSPICE
OTI. HIC. LOCVS. EST
IMO, NEGOTI. HIC. LOCVS. EST
OLIMQ. FVIT
IN. QVO
THEMIDEM. ET. SVADAM
COLAS
HÆC. TE VIRVM. ILLA. CIVEM
FACIET
BONA. BONVM
SED. HEIC. FACIET
VENI
VT. IN. OTIO. NEGOTIOSVS. SIES
IN. NEGOTIO. OTIOSVS
ERYCIVS. PVTEANVS
C. R
PROF. ELOQ. ET. HISTORIOGR. REG
D. D. D. P. P. P.
VIDO. MAZENTA. PRÆFECTO. VRBIS
CIↃ. IↃC. V

Cato Oratorem definiuit, *virum bonū, dicendi peritum.*

Decreto Decurionum, de publica pecunia posuit.



Feli[illegible] namq.

[illegible]

Ego sum possessor hu[illegible]

[illegible]

Cartas

...ellane...
...cholastica